

DE NVMISMATE CENSVS, A PHARISAEIS IN QVÆSTIONEM VOCATO.

Dissertatio THEOLOGISTORICA.

MARQVARDI FREHERI. M. F. Consiliarij Palatini.

Editio auctior.





HEIDELBERGÆ,

Apud ANDREAM CAMBIERVM.

CIↃ IↃ XCIX.

PERILLVSTRI
ET GENEROSISS. DOMINO, HERMANNO COMITI IN MANDERSCHIED ET BLANKENheim, Domino in Iunkerode & Daun: Cæsar. M. à consiliis.

Patrono suo S.



CVM superiori anno publicam calamitatem declinans, apud Agrippinam velut alteram patriam subsedissem, Patrone, quamuis non nullum solamen & vrbium illa regina, & in ea amicorum copia, rerumque nouitas & varietas afferret; hoc tamen vel ipsius itineris & exilij precium mihi reddidit, quod in gratissimum conspectum & noticiam tuam, siue aliquorum commendatione, siue popularitate tua, nullo certe merito meo, peroptatò me adduxit. Tunc profectò non dicam conceptæ opinioni meæ paria, sed ipsa fama virtutis & fortunæ tuæ maiora omnia comperi: cùm pro humanitate tua vnica vix auditum me vltrò vocares, liberaliter exciperes; in arcem illam tuam visendam & visendorum custodem deduceres & reduceres, & à latere tuo ferè indiuiduum omnisque gazæ tuæ inspectorem, nullo non beneficentiæ genere prolixè mactares; deinceps quoque absentem litteris & muneribus, & apud alios elogiis honestare non cessares. Quæ omnia si

vnquam animo excidere patiar, ingratissimus an stupidissimus sim mortalium! Et mirentur alij arces & possessiones, & dignos ordine tuo apparatus, & quantum habes diuitiarum operosiorum, ipsi Italiæ inuidendarum. ego magis animum illis vti gnarum: vel potius non vti, & horum relinquendorum contemtorem internis opibus fultum & contentum. Quem vt veneror, ita coniunctam humanitatem amplector: vt si testandi grati animi occasionem diutius requiram, vitam mihi acerbam putem, eoq; arripiam proximam. Cum enim ipso tempore, otij impatiens, leuandis molestiis & curis varia meditarer; cœpi nescio qua occasione ductus super argumento etiam hoc sacro, quæ ab aliis minus obseruata in mentem mihi veniebant, consignare. maiori animi contentione an oblectatione vix dixero: certè præter opinionem, quod parabam, ita successit & excreuit, vt iam iustæ Homiliæ sufficeret. Quam pro felici reditu Seruatori meo pactus, votique per eius gratiam damnatus, in publico citra sibilum pronuntiaui: & deinceps aliis super alia accidentibus (vt sunt diuina illa infinita, & tractatio igitur eorum) non minorem in modum auctam & excultam. Reipublicæ amicorum suasu communicaturus, splendidissimi nominis tui prescriptione lucem ei fœnerare volui: non quo more hodie quidlibet cuilibet vulgò inscribitur, sed certo iudicio & causis manifestis. Cui enim iustius recentem fœtum, quàm à quo beneficij accepti recentissima memoria extat? Aut quid aptius magni Cæsaris consiliario, magnis in rebus magnæ industriæ fideiq; comperto; quàm quod pro summa illa in humanis potestate à cœlesti Hero è re nata dictum, nos omnibus ingenij viribus intensis enarrandum suscepimus? Deniq; rem (nisi fallor) à vulgi captu & consuetudine remotam, cui

potius

potius quàm tibi, omnium elegantiarum & rararum rerum vt cópiosissimo possessori, ita scitissimo æstimatori deferimus? Nec improbabis factum scio: nec improbabunt etiam, te patrono, studium nostrum alii, aut verba diuina humanis argutiis profanasse calumniabuntur; si pensabunt, vt ad summi illius Boni adeptionem omnes nostros conatus merito dirigimus; ita rectè etiam & ordine fieri, si quidquid est literarum, ad vnas sacras illustrandas; quidquid monumētorum & æui reliquiarum, ad antiquissimā & immobilem historiæ religiosæ fidem vndequaq; confirmandam adhibeamus: si deniq; humana omnia diuinis, & vniuersa mortalium studia, ingenia, opera, in tota hâc machina, factoris sui gloriæ prædicandæ seruiant. Quem quidem ego (quidquid aliis sit mentis) etiam horum studiorum fructum censeo vel maximū & pulcherrimum: nec sine hoc dignemur pij, quidquid est vspiam auctorum veterum aut memoriarum (præquibus tamen quæ non recentia sordent!) obliquo oculo adspicere: jam non tam honestam animi relaxationem, ingeniique culturam, quàm magis etiam serium illum vsum inde quærentes. Nec vetabo, quin idem hoc maioris operis ἀποσπασμάτιον Pomponij nostri *De veteri numismate*, simul aliquem gustum præbeat: quem affectum dudum, & tibi ostensum iamq; amicorum tantum non conuiciis quotidie efflagitatum, breui (Deo iuuante) extrudere paramus. atque vtique sat citò, si bene. Tu hoc interea, magnifice Comes, magnæ obseruantiæ exiguum pignus, solita comitate tua suscipe, meque susceptum tuum grauissimo patrocinio complecti perge. Vale. Heidelbergæ, Kal. Ianuar. anno Christi M. D. XCVIII.

Marquardus Freherus.

ELOGIVM ARCIS BLANKENHEMI,

QVAE SEDES EST

Inluſtris & generoſiſſ. Dn. HERMANNI Comitis Manderſchidi, & Blankenhemi, Dynaſtæ Iunkenrodæ & Dauni: S. Cæſ. Majeſt. à conſiliis:

GEORGIO REMO auctore.

VIN' tu mille videre amœnitates
Hoſpes? cernere vis Neronis aureis
Aedibus decies beatiores
Aedes, Dædaleâ & domo ampliores?
Hortos Alcinoi feraciores?
Monſtrabo indice, virgulâque ſacrâ.
Blankemum i, pete, & inſpice ô viator.
Quà ſunt obvia prómtaq; vndequaque
Alta tot decora elegantiarum,
Quot capſit microcoſmus vllus ægrè.
Admirabere (ſat ſcio) ardua illa
Propugnacula, mæniana, turres;
Inſtrumenta tot incruenta Martis,
Armorum ſeriem, ordinemque iuſtum.
Glandes nempe pilasque fiſtulasque,
Portarum excubias, ſilente nocte:
Quà cernes monumenta pacis almæ,
Quæ ſecum atulit eruditionis
Pallas mater, ab Atticis Athenis
Huc quando appulit ad fluenta Obrinci.

Heic

Heic divûm statuas, Lareis, & urnas,
Saxa, & sarcophagos, imaginesque,
Et cæsos lapides Paro vel ipsâ:
Heic volumina docta, disciplinæ
Cuiusvis lepidos bonos libellos:
Quot non rex Ptolomæe possidebas,
Consultis, Medicis, Sophis legendos,
Libros Theiologis manu diurnâ
Versandos, reliquisque doctiorum.
Porrò myriadas vetustiorum
Numûm (quos veteris vocare Pluti
Gazas possumus) Hospes, heic videbis;
Numos dico Quiritium priorum,
Numos Grajugenûmque, Teutonumque
Priscorum: documenta magnæ opum vis.
Si porrò extuleris pedem arce, cernes
Herbis utilibus salubribusque
Tot pomaria consita, & referta
Tot pomœria fructibus; deorum
Mater cum Cerere è sinu benigno
Quos fundit bona, liberalis, æqua.
Heic, quod decolor Indus & Sabæus
Spirant, quodque metunt, metas licebit.
Versu singula, (qui brevis laboro
Esse, & dicere multa malo paucis,
Et dixisse alios velim & peroptem)
Non percurrere nunc quidem potissum.
Florent omnia, rara cara, pulcra
Visu: nec Genius beatiorem
Sedem Tibure quærat, insulisve
Deligat Macarum, vel orâ Atlantis;
Urbe aut Romulidum deorum asylo.


Nam

Nam quæ Roma habuit, videbis istic.
Trans Alpeis vel vt euolasse Roma
Aut transuecta putetur huc locorum; et
Cum Musis Charites simulq; Apollo
Aras ab Helicone transtulisse,
Blankemumq; habitare censeantur.
Affari ergò bonas voles Camenas,
Phœbum, & dicere Gratiis salutem?
Vin' Romam breui imagine intueri?
Hortos, Dædaleam domum, vetusta
Aera, & pumice codices politos?
Et vin' mille videre amœnitates?
BLANKEMVM *i, pete tutus, ô viator.*

INCOLVMITATI

eiusdem inlustris & generosiss. Dn. HERMANNI, Com. Manderschidij.

D*IGNIS imperijs, Deum precabor;*
Iustisq; huic domui imperes beatæ,
O HERMANNE *Comes, beatitate*
Corporis solidâ atque mentis auctus.
Hic vitæ adijciat tuæ senectam
Tranquillam, capulo procul remotam,
Dulcem, Nestoriam, sacram, beatam.





DE VERBIS DOMINI,

DATE CÆSARI, QVÆ CÆSARIS; ET QVÆ DEI, DEO.

Sermo votiuus.



VOD ardentibus & anxiis precibus à Deo optimo maximo vitæ necisque domino expetii, cum superiore anno gliscente ferali illa lue, ob peccata nostra diuinitus immissa, jamque viciniam meam & proximos parietes depopulante, dulcissimum larē & lare ipso dulciorem functionem meam deserere, & præcipitatis rebus omnibus vicini secundique Nicri oportunitate ad fugam vti necesse haberem; vt daretur mihi aliquando epidemia illa calamitate sopita, incolumi incolumes reuisere, resque priuatas cum publica statione recipere: eius me voti tandem damnatum, & quæ desiderio firmaque spe præceperam, nunc re ipsa tenere, majus profecto & illustrius Dei beneficium agnosco, quam quod pro magnitudine sua animo concipi, nedum verborum digno pondere pensari possit. Nam & è præsenti periculo velutique flagranti incendio cunctantem me & restitantem ceu angelica manu edu-

ctum, & cum in Vbiis quo me cum familia receperam contiguas nostris ædibus domos eodem malo infectas aduenienssiuuenissem, confectas postridie comperissem, vt non periculum sed locum mutasse velutique è fumo in flammam venisse viderer, toto tamen illo tempore quo in Vbiis & Sicambris fui, cum meis omnibus mirabiliter seruatum; denique per varias difficultates & infesta prædonibus itinera (à quibus pridie modò spoliatam nauem subsequebamur) feliciter huc reductum, è peregrinitate ad domicilium, è molesto & sterili otio ad honestissimas functiones, è fuga & solitudine ad jucundissimum vestrum conspectnm rediisse; nonne id tale est, pro quo nihil sit vlla oratione tanti beneficii auctori gratias agere, nisi eius perpetuo memores totam ætatem nos gratos exhibeamus, & qnicquid superest vitæ, ei lubentes consecremus.

Quemadmodum igitur, qui auari maris iras tempestatesq; sonoras euaserunt, terræ & patriæ redditi vota sua Diis seruatoribus persoluunt, tabellasque in fanis suspendunt: ità nos quoque isto periculo (Deo custode) sine magno dispendio defunctos decere arbitror, antequam ad consueta officii munia redeamus, votiuo aliquo sermone beneficii memoriam testificari. Vel potius vt olim apud Romanos qui insigne aliquod vitæ discrimen euasissent, vel quos peregrè mortuos fama nunciasset (nam & id de me comitibusque meis factum audio) domum reuersi non per fores admittebantur, sed conscenso tecto in domum demittebantur, velutique ex aere in atrium sub dio positum inferebantur*: ita nec ipse ab isto interuallo ad recitationes quotidianas rectà redire nisi altiore dicendi exordio facto, & extraordinario quodam aditu

*Plutarch. in quæst. Rom. 5.

ditu viam ad Cathedram repetere volui. Sed ne profano aut humili argumento deberi hanc horulam consentaneum eſt, modo & idem ab hoc loco, & muneris noſtri conditione non ſit alienum, Quale illud eſſe, quod à nobis ſuſceptum iri publicè ſignificaui, omnino ſtatuo: quippe quod & ab ore ipſius Veritatis profectum nullam vitilitigatorum controuerſiam admittit, & à fonte ipſius Sapientiæ ortum, inexhauſtas indagantibus doctrinæ venas aperit, & à ſupremo dominãtium Domino dictatum omnium humanarum poteſtatum vires, jurisdictionum neruos, legum denique noſtrarum reuerentiam, auctoritate ſua ſancit & confirmat.

Vt quid enim aliàs non tantum apud priorum ætatum homines Chriſtianam, ſed nos etiam reformatam & ſinceram relligionem profeſſos, profanorum hominum Antoninorum & Seuerorum, addo etiam fidei perſecutorum Traianorum, Deciorum, Diocletianorum non dicam nomina conſeruarentur, ſed leges & reſcripta tanquam pro re ſancta & inuiolabili haberentur! Quid Vlpiani illius magni quidem viri & magnis ſuo merito apud Principem honoribus functi, ſed (vt Lactantius * ait) ſceleratiſſimi homicidæ, qui injuſtas diſputationes contra Chriſtianos ſcripſerit, & reſcripta Principum nefaria, conſtitutionesque ſacrilegas contra eoſdem collegerit, ideoque meritò bonis omnibus exoſi, ſcita & dogmata ſequeremur? Niſi mandati huius Dominici, & deinceps ab Apoſtolis non otioſè repetiti memores, cum Cæſari tum ab eo ordinatis magiſtratibus ad parendum conſcientias etiam noſtras obſtrictas eſſe, & hac paritione non tam illis, quam qui illos cõſtituit, Deo ipſi gratum obſequium exhiberi conſtaret.

* *Libr. 5. Inſti. cap. 11.*

Etſi autem ſuper hoc quoque loco dicta ſcriptaque à diuerſis ſunt plurima, & dici adhuc infinita poſſunt; neque diſſimulem pleroſque à nobis & antiquorum & recentiorum ſuper eo jampridem conſultos: nos tamen & limitum profeſſionis noſtræ, & in ea ipſa tenuitatis propriæ memores, pauca tantum ad inſtitutum noſtrum facientia delibabimus, eaque more noſtro ita tractabimus, vt nemo ſua à nobis compilata jure conqueri, æquiores rerum æſtimatores etiam non omnia dicta fuiſſe prius agnoſcere poſſint.

Te æterna Sapientia Dei, qui ineffabile conſilium ſalutis noſtræ generi humano protuliſti è ſinu Patris, & officio redemtoris in terra defunctus nunc aſſides ad dextram eius, vnde Eccleſiam tuam potenter gubernas, & ſolus ſalutaria dona largiris mortalibus; te ſupplex veneror & oro per fidem tuam, vt verborum tuorum, dulciorum ſanè quouis fauo, validiorum vento, penetrantiorum gladio ancipiti, verum ſenſum pariter & vſum ipſe per Spiritum tuum veritatis magiſtrum nos edocere, & vt ad intelligendum ingenia noſtra, ita obœdiendum animos & voluntates aptare digneris, Amen.

Qva occaſione quoque conſilio hoſtes Domini poſt multos congreſſus priores, iſto omnium calliđiſſimo commento eum adorti ſint, non eſt opus altius repetere. Cum enim vidiſſent ſe tot jam exemplis notatos, legis diuinæ ſuique officii præuaricatores declaratos, indignoſque judicatos regno Dei & patrum promiſſionibus; neque propoſitis parabolis quid reſponderent habere poſſent, ſuaque reſponſa ſibi ipſis eſſe captioſa multis vicibus comperiſſent; cogitant rationem inuenire qua & ipſum tandem in

ſuis

ſuis capiant reſponſis. Quam quidem ſibi reperiſſe videntur in quæſtione de tributo, vt obuia nec longè petita, ſed e præſentis temporis ſtatu, cum Iudæa tum cœpiſſet eſſe vectigalis Romanorum imperio, ita in vtramque partem ancipiti, id eſt, & ad Iudæos maximè plauſibili, ſi quis eorum libertati aſſertor exſurgeret, & ad Romanos tunc rerum dominos maximè odioſa & periculoſa, ſi quis eorum jura armis parta vel leuiter attingeret & in dubium reuocaret. quod in rebellionis crimen læſæq; majeſtatis dicã omnium grauiſſimam ſtatim incidebat, vt tragicus exitus Iudæ illius Galilæi docuerat, qui tempore primæ deſcriptio ſub Auguſto Iudaicam plebem ſpecioſis verbis ſollicitauerat ad libertatem defendendum, & mox cum tota factione ſua miſerè periit, vt Lucas & Ioſephus ſcribunt.* Non leue ergo quiddam erat quod Domino proponebatur, & quod ſola diſputationis fine ſtaret, & in quo tantum de victoriæ laureola inter differentes ageretur: ſed tales quæſtionis tendiculas Domino ſtruxerant, quibus præjudicatam capitis ſententiam & verba per jugulum reditura ab eo elicerent: vbi ſi lubrico linguæ (vt IC. loquitur*) in alteram partem lapſus eſſet, ſurgendi facultatem non habuiſſet. Patuit ab euentu quid tunc moliti eſſent, qui poſtea etſi eis hoc conſilium minimè ſucceſſerat, tamen feruore accuſationis coram Pilato, & inopia verorum criminum, Chriſto impingebant, *tributum Cæſari pendere vetuiſſe.**

* *Actor. 5. Ioſeph. 18. ca. 1. & 2. de bel. Iud. c. 7.*

* *l. 7. ff. ad Iul. maieſt.*

* *Luc. 23.*

Inito igitur conſilio Phariſæi, genus hominum (vt ait Egeſippus) *ſecundum doctrinam legis exercitatum, ſecundum qualitatem affectus callidum, auidum negotiorum, pecuniæ appetens*, non jam ipſi Dominum accedunt, quippe tot congreſſibus illi noti & ſuſpecti, à quibus

 ſibi

ſibi cauendum etiam atque etiam ſciret : ſed miſſis de ſecta ſcholaque ſua diſcipulis, quaſi ignotis vt facilius deciperent, & deprehenſi minus erubeſcerent; ſubornatis ergò inſidiatoribus (ait Euangeliſta) qui ſe juſtos & ſimplices ſimularent, vt propoſita quæſtione eum caperent in ſermone, quem infacto non potuerant, addunt Herodianos, religione licet illos à ſe multum diuerſos, ſemi-Iudæos tamen, & minus à ſe alienos, quàm Pilatus cum familia ſua, quæ Iudæis infeſta non minus quàm inuiſa erat, & paganæ ſuperſtitioni dedita: vt facilius cum Herodianis hoc circumuentionis conſilium communicare potuerint. Qui (licet non neſciam variè ab interpretibus accipi) erant miniſtri Herodis, ex aula & comitatu eius, vel etiam milites eius, vt Hieron. & Chryſoſt. volunt, eadem forma qua *Cæſariani* dicti. Herodis inquam, non Magni illius Antipatri F. qui deficiente inclyta & legitima ſtirpe regum Iſraelis juxta Prophetarum vaticinia primus ex alienigenis Romanorum voluntate præfectus erat Galileæ cum poteſtate Regis: ſed filii huius, Antipæ prius dicti, quem ipſe viuus tetrarcham Galileæ conſtituerat, & Auguſtus poſt mortem eius confirmauerat; quique ideò Cæſarem dignitatis ſuæ auctorem & Romanos ſuperiores recognoſcebat, non aliter quàm Philippus frater eius in Iturea & Trachonitide, Lyſanias in Abylene*, Archelao prius rege Iudææ conſtituto: vt & alii in aliis prouinciis Romanis Regum nomen retinuerunt, *vetere ac iampridem recepta populi Romani conſuetudine* (ait Tacitus in Agricola) *vt haberent inſtrumenta ſeruitutis & Reges*: qui & in beneficium, & propemodum feudorum hodierno ritu, cum diademate nomen & poteſtatem ſuam à Romanis ſupplices è geniculis accipiebant, vt de

* *D. Luc. 3. Ioſeph. 14. cap. 23. Egeſipp. 1. ca. 30. 34. Euſeb. 1. cap. 4.*

de Phraate Parthorum rege Horatius ait: *-ius imperiumque Phraates Cæsaris accepit genibus minor.* & ipsi Iudæi eo respiciunt, exclamantes coram Pilato: *πᾶς ὁ βασιλέα αὐτὸν ποιῶν, ἀντιλέγει τῷ Καίσαρι.* * Et hic Herodes est impius ille, qui incestum cum fratris sui Philippi viuentis vxore commiserat, & Baptistam facti censorem necauerat: quemque ob versutos mores *Vulpem* vocare Dominus solebat: & cui Pilatus Dominum, quem Galilæum putabat & sub illius tetrarchæ jurisdictionem pertinere, transmisit, moxq; ab eo despretum illusumque recepit. A Caio deinceps Imp. cum illa dignitate sua non contentus regium nomen peteret, Agrippæ calumniis, nomine pariter & ditione exutus, & Viennam relegatus: vbi cum Herodiade vxore sua secunda (si vxor dicenda fuit) animi mærore extinctus est. *D. Iohan. 19.*

Herodes ergo hic, vt ante pater eius cliens deuotissimus & amicus intimus Augusti fuerat, ab eoque vicissim supra omnes, infra solum Agrippam diligebatur; ita & ipse postea ad magnam amicitiam Tiberii (sub quo hæc gesta sunt) peruenit; cuius etiam in honorem ciuitatem Tiberiadem condidit. * Itaque de rebus apud se gestis diligenter ad Cæsarem referre solebat & (vt credibile est) jura Cæsaris omni studio defendebat, atque adeò tributo Cæsariano colligendo in Iudæa intentus erat, quippe ipse à Cæsare non aliter constitutus, quàm ἐπὶ φόροις ἀγαπωμένοις, vt Appianus scribit. Vnde est quod Origenes & Cyrillus putant, Herodianos hos nihil aliud quàm publicanos fuisse, qui tributa exigerent. Quos ideò (vt ad rem redeamus) Pharisæorum emissarii ex compacto sibi adjunxerant, in speciem quidem, vt cum ipsi inter se diuersarum essent partium, hi exigerent, illi ægrè *Ioseph. 18. cap. 4. 8. Egesipp. 22. cap. 3.*

gre persoluerent tributum, Dominum quasi incorruptum judicem huius controuersiæ compellarent, velutique arbitrum adigerent: sed reverâ, vt haberent negati tributi paratam non tantum probationem, densa populi caterua astente; sed etiam executionem, & *captum in sermone* (ait Lucas*) *confestim per hos traderent principatui & potestati præsidis Pilati*. deniq; discipuli caperent in sermone, satellites raperent in corpore.

* Lucæ 20.

Interea has insidias probè dissimulantes, quasi bene Domino reconciliati, blandissimo sermone & honorifico de eius integritate judicio meditati eum ambiunt, nihil dubitantes, quin verborum mellitissimorum fuco & palpo delinitus, procul ab omni suspicione fraudis, tanquam apud homines discendi cupidos, imprudens animi cogitata sit effusurus. Nec pudet inconstantiæ, qua nunc Doctorem salutant, quem antea calumniabantur spiritum habere Beelzebub. Et libertatem ipsius ἀπροσωπόληπτον laudant, quo minus vereatur Herodianos offendere. *Magister*, inquiunt, *scimus quod verax tu & ab omni adulationis aut gratificationis nota alienissimus, Dei solius viam in veritate doceas, nihil curans de hominibus, nec vllius mortalium personam respiciēs.* Qui ergo tot alia docuisti, dic etiā hoc, *quid tibi videtur?* Ex animi tui sententia; *Fasne est dare censum Cæsari, an non?* Nobis nimirum, qui liberi sumus, soboles & posteritas Abrahæ non ex Agare ancilla sed Sara matrefamilias, qui liberi fuerunt, nec vllum vnquam tributum dederunt Regibus terræ, sed ipsi potius ab illis donati sunt eximiis muneribus, non sponte sed impulsis metu Dei nostri. Nobis, qui populus Deo sacer sumus, diuinæ & vnicæ religioni deditus, quique promissiones habemus perpetuæ libertatis

Gen. 49.

libertatis; &, si quando premamur ad tempus ab infidelibus, venturi Messiæ, qui jugum oneris & virgam exactoris confracturus, & regnum suum à mari ad mare propagaturus sit, sub quo læta pace securi fruamur. Nobis ergo *an fas sit*, per legem potissimum Dei, qua decimas, primitias, oblationes, didrachmum annuum Templo & sacerdotio conferre jubemur; *dare Cæsari*, homini profano & peregrino, qualem nullum agnoscere, sed eligere regem è nostro populo, nostræ nationis, nostri sanguinis, nostræ religionis jubemur*. Cæsari autem, magistratui nostro non ordinario & legitimo; sed violento, qui jure belli (si jus dicendum) nos tenet, libertate nostra armis oppressa, & à nobis extorquet quæ vult, & forte plura & grauiora deinceps extorquebit: nec tam extorquet ipse, quàm extorquenda locat publicanis & mancipibus suis, generi hominum (vel tuopte iudicio) omnium pessimo & iniquissimo. Huic ergò an dare liceat *censum*, id est, capitis redemtionem annuam, ipsissimam seruitutis confessionem. Hoc enim argumento superbi illi victores Romani triumphant & nobis insultant, quasi à Deo nostro neglecti, & vt falsi numinis cultores ita falsi etiam spe nostra diuini auxilii simus, quod Tullius* facit: *Stantibus Hierosolymis*, inquit, *pacatisque Iudæis tamen istorum religio sacrorum à splendore huius imperii, grauitate nominis nostri, maiorum institutis abhorrebat: nunc verò hoc magis, quod illa gens quid de imperio nostro sentiret, ostendit armis; quàm cara Diis immortalibus esset, docuit quod est victa, quod elocata* (publicanis nimirum vectigalium redemtoribus. nihil enim hoc loco mutandum censeo) *quod seruata*: id est, se non excisam funditus soloque ęquatam, Carthaginis exemplo, nobis debet.

Esai. 9.
Zach. 9.
* *Deut. 17.*
* *pro L. Flacco.*

Incidebat hîc vulgata illa & non leuicula quæstio, An regna & imperia armis & impressione parta sint à Deo. quam hîc quidem non attingam: sed si vlla gens eo scrupulo laborare poterat, Iudæa poterat: quæ peculiariter à Deo electa & adoptata, & eximiis promissionibus ac priuilegiis dotata, à Romanis se oppugnatam, sacra sua inspecta & profanata à Pompeio, templum expilatum à Crasso, & tributum insuper capitis ab Augusto imperatum indignissimè ferebat, & jure quodam rebellare posse videbatur. Hoc ipsum erat, quod Iudas ille Galileus plebi Iudaicæ ad rebellandum occentauerat, cum primum censum Augustus ageret; *descriptionem illam censuariam nihil aliud quàm apertissimam continere seruitutem, & indignum esse, post Deum suscipere dominatum mortalem.* Addunt ergo Pharisei, quasi re tota in arbitrium Domini rejecta, & ab ore eius pendentes, & staturi ei quod ille dixisset: *Dabimus censum, an non?** quasi dicerent, quando ita tibi visum erit, dabimus; sin minus, libertatem nostram & jura templi, exemplo ducum Macchabeorum, armata manu ad mortem vsque defendemus, & extrema admittemus.

* *Ioseph.* 18. c. 1.

* *Marc.* 12.

Parte ex altera astabant Herodiani, qui licet nihil locuti proponantur, tamen tacentes quid ageretur obseruabant, & Romanorum potentia subnixi jus in armis positum habebant, vt strages Bethleemitica ostenderat. Erant enim non tantum custodes corporis regi suo (quales etiam è Germanis & Celtis Herodem habuisse legimus) sed etiam regni eius satellites & apparitores, & ne quid cōtra eum & Romanos rerum nouarum tentaretur, obseruatores oculatissimi. Et vtcumque cum Pilato præside Herodes simultates foueret, Principi certè & senatui Romano non infidum fuisse constat.

Vide-

Videmus ergo ancipitem velutiq; bicornem quæstionem, & præcipitium ingens, vt vtriusuis partis rationem probaret Iesus, alterius offensam incurreret, hinc patriæ & ciuium suorum, illinc victorum & rebus potientium Romanorum. Neque elabi illum posse putabant, quin ex proposito biuio alteram partem eligeret: vt siue affirmaret dandum, tanquam Principibus impiis adulatus & cum eis colludens, populi circumfusi & patulis auribus responsum expectantis odium incurreret, nec tantum redemtoris & Messiæ opinionem tot concionibus & miraculis collectam vno momento amitteret, sed forte etiam tumultu populari aliquando opprimi posset: siue negaret, vt hostis Cæsaris motorque seditionis præsenti crimine teneretur, daturus pœnas quas ante Theudas & Iudas dedissent; & tamen ipsis voto potitis, interea vindictæ inuidia in Cæsarem eiusque præfectos & Herodem deriuaretur, causa nihil ad Pharisęos attinente. Et sperabant vtique ipsi magis fore, vt Christus more suo religioni fauens potius quàm Cæsari prophano aut Herodi inuiso, solita libertate pronunciaret áduersus Herodianos pro patria & gente sua, atque ita paratam perniciem non effugeret.

At Dominus contra quem nullum valet consilium aut sapientia, & cui ludus est astutos in astutia sua deprehendere *, nihil minus quàm quod illi putarant * *Prouerb. 21. Esai. 44.* fecit. Nam neque præcipitanter respondit, neque in alteram partem simpliciter, neque sine causa, neque denique ad id tantum quod quærebant. Vulgò dicimus, *Ad pænitendum properat, citò qui iudicat*. Itaque nec Dominus simplici affirmatiuo aut abnutiuo se absoluit: sed vt ante omnia ostendat se non fallere illorum insidiosam blandiloquentiam, & quo res tendat,

cognita penitus nequitia eorum (inquit Euangelista) consultores suos primum intentionis suæ coarguit. *Quid me tentatis*, inquit, *Hypocritæ*. Illi enim texuerant procemium alicuius quæstionis ad pietatem & religionem pertinentis, dicendo: *Viam Dei in veritate doces.* & tamen quæstio ipsa non pertinebat ex diuino instituto ad viam Dei. Ideò vocat eos Hypocritas, & mox è reipsa ostendit illos confundere rationes diuinas cum humanis, quando de censu soluendo tanquam de præcepti alicuius diuini violatione agunt; cum tamen allatus nummus de quo agitur, nil planè sacrum aut religiosum redoleat, atque adeo illius solutio non tangat aut offendat Deum, nec pietatem lædat; imò debeatur Cæsari tanquam victori, legum & monetæ conditori, & qui non petat violari religionem, sacra deseri, idola adorari, sed ex communi moneta reddi sibi numisma, in vsus promiscuos cusum & merè Romanum. Damnum autem in eiusmodi rebus non tangere animum, & pauperiorem reddere non impium. Si quid peteret Cæsar contra viam Dei, id esse negandum, quod jam non Cæsaris tributum sit, sed Diaboli. Illum petere quod principes omnes petunt, quod
Thren.Ierē. antea Ægyptii*, quod Seleucus ab eis petierat, quod
c.1. Pompeius: imò quod vicissim Dauid aliquando vi-
12.1.Sam. ctor à gentibus Moabiticis accepisset, quodque a-
c.8. deò semper ei in cuius manum Deus victoriam dederit, vel ex ipsa Dei ordinatione & lege expressa debe-
Deut.c.20. atur*, nimirum tributum ad reipublicæ administrationem. Reddi igitur debere tributum, quod ex ipsa materia & forma manifestè ostendit nihil pertinere ad religionem violandam: & posse sine damno pietatis etiam Deo dicatum hominem dare tributum prophano principi, etiam non debitum, malentem obsequi

ſequi quàm prouocare. At verò pietatem, inuocationem, animi fiduciam, vota oblationeſque ſacras Deo ſoli reddi oportere: vt & ipſe Dominus Deo dedit quæ Dei ſunt, faciendo voluntatem patris mittentis.* Hæc ſumma & medulla eſt reſponſi, cuius ſingula excutere operęprecium fore mecum fatebimini. *Iohan.6.

Ante igitur quàm reſpondeat, *Oſtendite mihi*, ait *numiſma cenſus*. antequam ſententiam dicam, eamus in rem præſentem, videamus quid ſit de quo agitur. Captioſa eſt quæſtio quæuis, ni termini probè diſcernantur. Quis ſcit an de illo tributo agatur, quod Pater meus lege ſua à populo ſuo in Templum ſuum quotannis deferri voluit, quodque vos integra conſcientia inde auertere non poteſtis. facile primo intuitu id viderimus. Nam quod ſinguli Iudæi maiores XX. annorum in Templum quotannis ferre juſſi erant* pro numine propitiando ſuique redemtione, & in tutelam ædis ipſius vel tabernaculi; dimidium ſicli argentei erat, quod efficiebat duas drachmas. Sicli autam imago & inſcriptio nota: vna parte virga Aharonis perpetuò virens, cum hoc lemmate: IERVSCHALAIM KODSCHAH, *ſancta Ieruſalem*: altera, vrna illa ſacra recondendę mannæ, cum litteris: SCHEKEL IISRAEL, *ſiclus Iſraeliticus*. quales ſicli hodieque etiam archetypi extant, & figuratum docti viri exhibent.* *Exod. 30. *Bez. ad 17. Mat. Anto. Auguſtin. Dialogo 2. del. medagl. num. 2.





Hunc

Hunc ſiclum ſanctuarii colligebat archiſynagoga à Iudæis ſynagogæ cuilibet ſubiectis, non ſolum in Iudæa ſed etiam in aliis Romanorum prouinciis & ipſa vrbe Roma (vt Tullius eodem loco meminit) & collectam pecuniam ad ſummum Pontificem Hieroſolymam tranſmittebat, & vt ſecurè tranſmitti poſſet è locis longinquis trans maria, à præſidibus ſubſidia armata ac λόγον συγχωρήσεως impetrabat. Quod adhuc durauit viuente Domino ſub Auguſto Tiberioque, vſque ad euerſam vrbem à Tito Veſpaſiani F. Idque in hiſtoria certum eſt, & errant plerique Homiliarii, qui hanc fuiſſe Phariſæis dubitandi & quærendi cauſam ſcribunt, quod tributum Templo Dei deſtinatum debitumque Romani ad ſe tranſtuliſſent. Cum contrarium potius illos mouerit, quod nimirum Iudæi cum præter oblationes alias primitiarum & decimarum, ſemiſiclum etiam iſtum ex lege quotannis præſtarent; ſaltem de reliquo liberi & immunes eſſe vellent, & pergraue eis videretur, Cæſari inſuper cenſitione obnoxios eſſe. vt rectè Theophylactus hoc loco annotauit: *Nil dicis*, inquit ſub perſona illorum, *in gratiam Herodis aut Pilati. Dic igitur nobis, debemus & hominibus tributarii eſſe, & dare eis cenſum, ſicut & Deo didrachmum? an ſoli Deo tribuemus? nunquid autem & Cæſari?*

* Matt. 17. Patet id ab ipſius Domini exemplo, quem legimus * cum veniſſet Capernaum, vbi frequenter verſari ſolebat, & exactores didrachmi eum de ſolutione per Petrum interpellarent, quamuis ſe ab eo tributo liberum eſſe demonſtraret, quod ſicut reges gentium non ſuis filiis vectigalia imponant ſed alienis, ita & Dei filio Templique ac regni paterni conſorti penſitatio illa non incumbat; tamen ne noceret exemplo,

qui

qui venerat legem in omnibus implere, hoc quoque non recusasse; & omnem suspicionem contemtæ religionis, loci sacri & sacerdotii vitare volentem, de statere inuento in ore piscis persolui tributum pro se & Petro jussisse. Didrachma enim semisiclum, stater duas didrachmas vnumque siclum efficit, vt Epiphanius docet.* Quod ipsum certè non ad exactores quæstoresque Romanos & capitis tributum ab eis impositum (vt Beda cum aliis quibusdam, & Budæus* è nostris, & postremò Maldonatus putarunt) sed ad collationem illam antiquam pro sartis tectis templi à Deo institutam referendum esse rectè Hilarius, & Theologorum nostrorum plerique, & Hotomanus etiam* intellexerunt. Et multis demum postea annis Titus euersa vrbe sancta Iudæis sub imperio Romano ex patriis legibus viuere volentibus hanc conditionem imposuit, vt Romæ ad Iouem Capitolinum illud argenti penderetur, Suetonio & Dione auctoribus: cum antea occupata à se maxima parte vrbis Iudæis exprobrasset, quod tributum illud Dei nomine & donaria permissu Romanorum collecta eos semper reddidissent ditiores & ferociores ad rebellandum, vt Iosephus* vernaculus testis & Egesippus prodiderunt.

*lib. 8. de ponder. & mensur.

*lib. 5. de Asse.

*De re numar. p. 358.

*lib. 7. c. 26.

Redeamus ad censum à Cæsare petitum, quem primus Pompeius Iudæis, antea Romanorum fœderatis sociis, gente victa, vrbeque capta, jure victoriæ imposuit, Ducem eis statuit, Iudææ fines determinauit*: deinde Cæsar Augustus, cum triumuiris sublatis solus rerum potiretur, in generali illa orbis descriptione, cum per omnes subactas prouincias censum ageret, in Iudæa etiam reuocauit, & ad certam summam taxauit. Non jubet autem Dominus

*Egesipp. 1. c. 17. Sulpit. Seuer. lib. 2.

siclum

ſiclum illum templarium ſibi exhiberi, ac ne *numiſma* quidem ſimpliciter, vt vulgò quidam ſcribunt; Tum temporis ſubiectionem Iudæorum ex amiſſa αὐτονομίᾳ & moneta apparuiſſe, quod non ſua amplius ſed Romana pecunia vti cogerentur. Nam nec αὐτονομίαν penitus amiſerant, cum etiam ſub Romanis ſacerdotes ſuos haberent, & ritus patrios liberè colerent, vt de ſiclo templi modò dictum, & mox de aliis id genus pluribus dicetur: & quod ſub Græcis regibus, nominatim autem Demetrio Syriæ rege, Simoni ſacerdoti magno Iudæorum inter alia priuilegia & immunita-
*1. Macha. c.15. tes conceſſum etiam legimus *, *facere percuſſuram proprii numiſmatis in regione ſua*; id eis à Romanis ademtum & abrogatum fuiſſe nuſquam legimus. Quamuis non neſciam, Mecænatem Auguſto familiarem inter alias firmandi imperii artes etiam ſuaſiſſe, nulli prouinciæ alterius ponderis, menſuræ, vel monetæ
* Dion. lib. 52. quàm Romanæ vſum concedere: * μήτε δὲ νομίσματα ἢ καὶ σταθμὰ, ἢ μέτρα ἰδιά τις αὐτῶν ἐχέτω, ἀλλὰ τοῖς ἡμετέροις καὶ ἐκεῖνοι πάντες χρήσθωσαν. Et ſanè fieri non potuit, cum Iudæi Romanis legibus & moribus aſſueſcerent, quin & ad commodiorem certioremq; commerciorum rationem ſimul vel Romanis nummis inter ſuos promiſcuè vterentur, vel ſaltem ſuas monetas ad calculi rationem illis vſitatam, denariariam dico & ſeſtertiariam, redigerent & computarent. Vnde apud Euangeliſtas etiam ſub Domini verbis *denariorum* & *aſſariorum* non vna mentio. *Sed tamen habuiſſe Iu-
* Matt.20. Marc. 12. Luc.12. Iohan. 8. Act.19. dæos non minus quàm ante ſiclos ſuos, didrachmas, ſtateres, charactere vernaculo, in hiſtoria Ieſu paſſim quoque animaduertimus: quin & ipſum triginta argenteis venditum. quod cum apud Mattheum ita legitur: οἱ δὲ ἔστησαν αὐτῷ τριάκοντα ἀργύρια, Euſebius ita
tranſ-

transſcripſit, τριάκοντα στατῆρας.* Ex quorum numero ſi vel illum argẽteum qui Romæ adhuc in æde S. Crucis in Hieruſalem oſtentatur,* vel qui Pariſiis in æde Iohannis Lateranenſis, trans vitrum ſpectandus, recognoſcamus (meam enim fidem interponere nolim) apparebit Romanum minimè fuiſſe.

* *lib. 4. demonſtr. Euang.*

* *apud Ant. Auguſtinũ. Dial. 2. nũ 1. Hercu. Prodic. p. 367. Bud. 5. de Aſſe.*





Vt non dubitem, Iudæos eo tempore nummos ſuos & monetas proprias etiam in commerciis adhuc habuiſſe, ſi non & cudiſſe. Et hinc eſt quod requirit Dominus non ſimpliciter exhiberi ſibi eorum numiſma, ſed *numiſma cenſus*, νόμισμα τοῦ κήνσου, id eſt, genus monetæ huic functioni proprium, quo defungerentur cenſu ſuæ prouinciæ indicto. Id. n. eſt κῆνσος, vt Suidas exponit: Κῆνσος, νόμισμα ἐτήσιον τέλος, παρὰ τὸ καίνω, τὸ κόπτω. Et iterum, Κήνσος, οὕτω τῇ ἐπιχωρείᾳ γλώσσᾳ Ρωμαῖοι τὴν ἐξέτασιν τοῦ Ρωμαϊκοῦ πλήθους προσαγορεύουσι. Et Heſychius: Κῆνσος, εἶδος νομίσματος ἐπικεφάλαιον. & ita in toto Pandectarum titulo *De cenſibus*. Quaſi dicat Dominus: Hoc inſpecto cuiuſmodi ſit, facile erit dijudicatu, Deóne an Cæſari eum dare debeatis. Vnde apparet, Dominum de vi argumenti ſui iam certum fuiſſe, & quid ſibi exhibendum eſſet, & ex eo neceſſariam conſequentiam iam tum præuidiſſe. Si enim quouis pecuniæ genere, aut ſi etiam plusquam vno perſolui tributum potuiſſet, planè incerta & fallax fuiſſet

instantia de exhibēdo numismate census: propterea quod Pharisęi siue casu siue malitia aliud nummi genus protulissent, nihil tale ad Cæsarem inferri inde, neque accommodari illa argumentatio potuisset.

Statuęndum itaque omnino est, vt hodie in plerisque regnis, principatibus, rebuspublicis, in quibus certæ à subditis pensitationes exiguntur, capitationes, centesimæ, telonea, & alia, vsu receptum & præscriptum est, easdem in certo pecuniæ genere, quod exigenti maximè placuerit, deponi; vt non sufficiat valorem & quātitatem ipsam dari, nisi in ea specie expressa detur: ita veteres etiam Romanos, Cæsares præsertim, callidissimos gubernandi artifices, deuictis gentibus omnibusque prouinciis suis non tantum tributa imperasse, sed ea etiam in certo monetæ genere, & quidem argenteo plerumque (vt Plinius annotauit*) neq; sanè alio quàm Romano, in signum nimirum subiectionis & recognitionem dominatus sui, fisco inferri voluisse. Stante republica, populis bello superatis quandoque summas talentorum (quod summæ genus Græcis etiam aliisque populis commune, τάλαντα) indictas apud Liuium, Florum, Polybium legimus: aliquādo Bigatorum & Victoriatorum, quæ Romanæ pecuniæ erant, & Consulum nominibus insignitæ. Recognoscebant in ipso earum charactere sæpe gentes miseræ calamitatem suam, cum Romani non tantum magistratuum suorum titulos, sed illas ipsas expeditiones suas & victorias inscriberent. vt exempli gratia (ne à Iudæis longius abeamus) à M. Scauro & A. Plautio, vtroq; Cn. Pompeii in Asia legato & proquæstore, quorum Iosephus meminit*, illo ARETAS REX Arabum, hoc BACCHIVS IVDAEVS Arabiæ & ipse regulus, superati in dena-

*lib.33.c.3.

*lib.14.c.4. & bell. Iud. 1.c.6.

denariis exprimuntur, supplicum ritu dextro genu nixi, camelos tenentes, & oliuæ ramum paci impetrandæ dextra prætendentes.*

*apud Ful. Vrsin. in famil. Rom. p. 200. Eriz. p. 182. & 274. Piso p. 131.





At ne hoc quidem ad id quod quæritur satis est: videndumq; modò est propius, quid sub Cæsare Augusto in vsu fuerit. Si enim satis fuisset quemuis denarium, modò Romanum, exhibere; habuissent autem Romani in vsu denariorum varia genera, in queis veteres regii, consulares, dictatorii, triumuirales, ædilitii, bigati, victoriati (vt habuisse eos vel Pomponius IC * illo æuo meminit, & magna eorum copia ad nostrum vsque æuum superat) potuisset & sic quæstio & argumentum de denario census, seu casu seu dolo facile eludi. Et hoc est illud, quod magnos illos Ecclesiæ Romanæ Doctores fugit, nobis autem laicis & semidoctis non ita est difficile explicatu. Scribit enim Cæsar Baronius Cardinalis * *moris fuisse apud Romanos, vt numismata pro ratione tributi vel census ab Impp. cuderentur, nec vno semper modo eadem permanerent, sed secundum incrementa & decrementa tributorum & ipsa mutarentur: adeò vt numismata tributorum à cæteris vsualis pecuniæ nummis in eo differrent, quod istorū precium semper idem esset; numismata verò census & tributi, quoties mutaretur eius quantitas, eadem à rationem tributi nouiter formarētur*, Et affert locum Lampridii in Alexandro,

*L. numismatum. 28. D. de vsufr.

*Annal. 1. sub anno Christi 34. Tiberij Imper. 18.

quem quia & ad censum hunc non pertinet, & æui longè posterioris est, ne recitandum quidem duxi. Certè peculiare pro modo indictionum nummi genus, modò grauius, modò leuius, subinde fabricatum nusquam adhuc legi: & hoc ipso nostro loco dicitur prolatus Denarius pro numismate census, vulgatum & tritum nummi genus, quod drachmam Atticam pondere æquaret, & decem asses ære Cyprio cusos valeret, vt Volusius Mætianus, Priscianus, Fannius, Plinius docent. Et quod deinceps sub Tito Iudæis impositum erat didrachmum, nil aliud erat, quam duo denarii, vt est compertissimum. Non igitur ratione ponderis & valoris, sed formæ potius certum quendam nummum Cæsar in tributo exigebat, nimirum (vt rem tandem aperiam) vultu & nomine suo insignitum. Nam vt stante Republica per triumuiros & Consules monetæ feriebantur: ita principatu ad vnum deuoluto, vt in operibus omnibus publicis sui nominis inscriptionem Cæsares affectarunt, vel Macro I C. teste *; sic in moneta quoque publica caput suum cum ornamentis Imperatoriis, suaq; gesta & dignitatum memoriam conspici voluerunt: idque præsertim in tributo à Prouinciis accipiendo strictissimè seruarunt, vt hic Euangelistæ locus auro contra non carus euidenter docet. De Nerone scribit Suetonius *, eo fastidio & accerbitate tributa & debita exegisse, vt nummos etiam suos non nisi asperos, id est ab officina adhuc recentes, velutique ab incude calentes, & nouitate quadam grata (vt Apulejus loquitur) candentes acciperet. Obuia sunt loca in ipsis Principum constitutionibus per Codicem Theodosii & Iustiniani, etiam cum de illationibus publicis, fiscalibus reditibus, vectigalibus, auro coronario, adæ-

*l.3.D.de operib.publ.

*cap. 44.

adæratione agitur, vbi *ſolidi principũ veneratione formali, æternales vultus, ſacrum os, diuini vultus* eis impreſſi dicuntur. Adeoque (quod miremur) manſit ea conſuetudo apud Romanos principes integra & diuturna, vt etiam viribus ſuis acciſis & Imperio declinante hanc maieſtatis ſuæ ſignificationem nollent remittere. Vel de Iuſtiniano II. dicto poſtea Rhinotmeto legimus*, qui fœdus Arabicum quod cum rege Habdimelich habebat, vltro & magno quidem ſuo malo rupit, cauſa ex eo ſumta, quod annui tributi moneta ab illo miſſa non Romanum (vt ipſe volebat) ſignum, ſed nouum & antea inuiſum Arabicum haberet: cum quidem Habdimelich multum deprecaretur, quando Arabibus nefas eſſet Romanorum inciſione & figuratione vultum in ſuis nummis vti, & pondus auri ſufficiens Cæſari offerret, ne Romani damnum vllum cauſari poſſent.

** Zonaras to. 3. p. 73. P. Diac. hiſt. miſcell. 9.*

Et ſanè credibile eſt, vel eo grauius fuiſſe Iudæis tributum Romanis pendere, quod vltra diſpendium argenti, Cæſaris etiam imaginem conquirere, manibus contrectare, atque adeò illi afferre cogerentur. Cum memores ipſi diuinæ legis omne pictum ſculptumque ſummæ execrationi haberent: adeò vt non ſemel non dicam obſtatuas aliquas hominum aut Deorum, aut aquilam argenteam in templis eorum collocatas, ſed ſaltem ob militaria inſignia exercituum Romanorum regioni illata graues turbas dederint, vitam potius profundere, quàm tale quid admittere parati. Scribit Ioſephus*, omnes ante Pilatum Iudęæ rectores ſine ſignis ingredi muros ciuitatis conſueuiſſe. Pilatum primum clanculum ingreſſum ſigna militaria ſecum allata, in quibus imagines Cæſaris erant, in vrbe conſtituiſſe. Iudæis diu multumque in-

** lib. 17. c. 5. & 18. c. 11. 15. & 2. belli Iud. c. 8.*

ſtantibus vt tollerentur, tamen quod in Cæſaris injuriam id vergere videretur, facere noluiſſe, mortem inſuper illis comminatum niſi quieſcerent. Illos mortem ſe potius electuros, quàm patriam legem tranſgreſſuros palam affirmaſſe: vt Pilatus tandem admiratus ſiue religionem ſiue pertinaciam illorum, ſigna Cæſaream transferri juſſerit. Quod ipſum initium ruinæ gentis fuiſſe, nec aliunde fatale illud bellum cum Romanis & ſurrexiſſe & creuiſſe Egeſippus ſcribit.* Taciti teſtimonium de gente Iudæa hoc loco non omittam, quam ait* *mente ſola vnumque numen intelligere, ſummum illud & æternum: nulla ſimulacra vrbibus ſuis, nedum templis habere: non Regibus hanc adulationem, non Cæſaribus honorem deferre.*

* lib.2.c.3.

* Hiſtor.5.

Simile quid etiamnum videmus in Turcis, qui cum habeant legem Mahometis, qua ſtatuas, ſimulacra, ſculptos pictoſque iconas ſeuerè prohibuit, ipſi Muſulmanni (Leunclalaij fidedigni & αὐτόπ]ου narratoris fide* referam) non tantum magno zelo poſitas in templis per Chriſtianos imagines frangere, diſturbare, abolere ſolent; ſed & Romanorum Græcorumq; principum capita in nummis antiquis expreſſa conſpicati, violari legem Prophetæ clamant, & vſum nummorum eiuſmodi veterum omninò è medio tollendum cenſent. Quamuis hodię non admodum eos hac religione, in pecuniis ſaltem, tangi idem auctor teſtetur.

* Pandect. Turc. nu.55.

Phariſæi tamen (vt ad hos redeamus) Chriſto petente ſibi exhiberi numiſma cenſus, vel vt paullo breuius Marcus & Lucas rem memorant, petente *afferri ſibi denarium vt eum videat,* obtulerunt ei denarium. nō ſiclum Hebręum, non didrachmum aut ſtaterem Græcum (non enim hos Cæſar volebat) ſed denarium Roma-

Romanum. Ac ne hunc quidem paullo antiquiorem, consularem nimirum (quamuis & hic Consulum Romanorum atque adeo Prætorum & imperatorum exercitus nomina prætulisset, quique tam cum imperio fuissent, quàm postea ipsi Cæsares consulatum gesserunt) sed sui æui, Tiberiani imperij. Quærit enim Dominus nummo conspecto, quasi parum agnosceret eiusmodi litteras atq; imagines, qui tractabat cœlestia, *Cuius si imago et superscriptio?* his duobus nummus censetur, nec ipse aliud est quàm

Concisum argentum in titulos faciesq; minutas. Iuuenal. 14.

Quærit, non quod nescierit (vt Hieron. ait) sed vt ad quæstionem illorum competenter respondeat: vt Iudex bonus quædam ex partibus etiam vltrò quærere solet, vt confessionibus eorum acceptatis congruam meritis sententiã ferat. Venerant ipsi Iesum illaqueare verbis ipsius: at eos potius ille capit, captosque tenet ipsorum respõsis. Respondent enim ei quod res est, *Cæsaris.* Quid audio, Cæsaris? Ita est, & vt Iuuencus Presbyter hunc locum vertit:

Aspicite en nummum sculptiq; numismatis æra,
Cæsaris expressum facile est ibi cernere vultum.

Et Prudentius in martyrio Laurentij:

En Cæsar agnoscit suum
Numisma nummis inditum,
Augustus arcem possidens:
Cui nummus omnis scribitur.

Cæsarem hoc loco accipimus non Augustum iam defunctum, sed Tiberium eius priuignum & adoptiuũ, cuius tũ imperij decimusoctauus circiter annus vertebatur. Vt et cum iidem Iudæi dicunt: *Non habemus regem nisi Cæsarem.* Et: *Omnis faciens seipsum regem, contra facit Cæsari.* Et: *Non es amicus Cæsaris.* Nec abfuit alter

titulus,

titulus, *Pontificis Maximi*, in illius operibus & nummis perpetuus, & à successoribus etiam affectatus vsq; ad Constantinum, vt esset idem *potestate Imperator, virtute Victor, Augustus sanctitate, Pontifex religione, indulgentia Pater.* * Iam auersa parte nummi quid? forte illud ipsum quod in aureis argenteisque frequens conspicimus, PONTIFEX MAXIMVS.

** Auson. Panegyrico.*





vel aliud quidpiam elogij, CLEMENTIAE, MODERATIONI, PROVIDENTIAE AVG. item PERPETVAE PACI AVG. aut tale quid adulatorium: aut Deorum Dearumue, aut Semonum aliquis, & forte Diana Ephesia, cuius D. Lucas meminit. * Videas & in quibusdam Augustæis eius æui, & despuas: SALVS. GENERIS. HVMANI. Et sanè Cæsar ipse Diui instar formatus, os humerosque Deo similis, Cæsaries radiata, lauru redimita; additum etiam, DIVI. AVG. F. Et sub patris eius imagine, DIVO. AVGVSTO. Quin & nummum hunc suum vult quodammodo pro re sancta & numinis plena haberi. Refert Philostratus *, Aspendi vrbe Pamphiliæ, in qua & asylum Tiberij erat, statuas eius Principis pene sanctiores ipsius Iouis Olympij simulacris habitas fuisse: adeò vt quidam maiestatis damnatus fuerit, quod seruum suum verberasset, qui drachmam siue denarium argenteum Tiberij imagine signatum palàm manu gestasset,

** Actor. 19.*

** in Apollo. Tyan. lib. 1.*

gestasset, τυπ[illegible]ήσας, inquit, τὸν ἑαυτοῦ δῆλον φέροντα δραχμὴν ἀργυρᾶν νενομισμένην ἐς Τιβέριον. Tranquillus & Seneca* scribunt, *Eo rem processisse in crimine maiestatis, vt capitale esset, nummo vel annulo impressam Augusti imaginem latrinæ aut lupanari intulisse.* Habet ergo denarius censualis Cæsaris nomen & vultum, & consequenter ab ipso Cæsare percussus: nec Iudæi rem tam execrabilem vnquam fecissent. Et dubitabant adhuc, an rem non tantum profanam, sed & pagana superstitione imbutam abiicere & erogare deberent: nec religio eis erat, pictum sculptumq; & idolo proximum penes se habere.

* *Sueton. in Tib. Seneca de benefi.*

Et hinc aptissimè Dominus infert, quasi causa bene cognita, reipsa oculis subiecta, confessione partium audita: *Ergo*, etiam lege vestra jubente, cuius seruandæ studio me consulere simulastis, quæ vos iconibus & idolis idolothytisque abstinere jubet; *reddite Cæsari quæ eius sunt.* Et hũc nummum igitur. Denarius enim hic est Cæsaris, siue formam spectetis, Cæsar nummo formam atque adeo essentiam dedit. Vt IC. dicit* definiens monetam, *esse materiam electam forma publica percussam, quæ vsum dominiumq; non tam ex substantia præbeat quàm ex quantitate.* Forma autem est effigies & titulus, quem ille non renuente Senatu, & sic vt magistratus non tantum pro tempore rerum potiens, sed etiam legitimè vocatus impressit. Siue materiam spectetis (quæ forte non abs re formæ cederet) et ipsa verè Cæsaris est, vt è metallis Cæsarianis effossa, in moneta Palatina procusa, & ab eo publicata, vt subditi hoc medio vltro citroque inter se mercari & contrahere possint, quod omnium rerum promercalium precium certum constituit, sine quo nec victus comparandi facultas est expedita, vt ele-

* *l. 1. D. de contr. emt.*

* Cassiodor. 6. variar. 7. ganter Athalaricus rex Gothorum ait, * *Principis imaginem subditos videri pascere per commercium, cuius consilia inuigilare non desinunt pro salute cunctorum.* Ipsum denique reddite Cæsarem Cæsari. Nam & hi nummi Cæsarum, ipsorum quorum imagines ferrent nominibus solebant indigitari, vt *Philippi*, *Traiani*, *Domitiani* dicerentur. Martialis *: *Et centum Dominos noua monetæ.* Iuuenalis VIII. *Dacicus aut scripto radiat Germanicus auro.* Atque ita hæc verba Christi accepit Karolus Magnus Francorum Rex (cuius autoritate libenter vtimur) in libro De imaginibus *. *Dominus & saluator noster & per paginam veteris testamenti imagines adorare inhibuit, & per corporalem præsentiam imaginem Cæsaris Cæsari potius reddendam quàm adorandam censuit.* Et iterum: *si crucem tollere & Dominum sequi iubemur, & rursus imaginem Cæsaris Cæsari reddere debemus: non sunt imagines cruci æquiparandæ, non adorandæ, non colendæ, sed huic mundo cum cæteris quæ mundi sunt reliquendæ.*

* 4. epigr. 28.

* lib. 3. c. 17. & 2. c. 28.

Non vtitur Dominus illo vulgato, & falso, neq; illud auctoritate sua confirmat: *Omnia sunt Principis* *, ergo & nummus. Nam neque Cæsar hoc exigebat, neque etiam nummos omnes sua imagine signatos à Iudæis aliisue hoc solo argumento repetebat, vt si hodie rex Hispaniæ omnes Philippeos, vel Papa Romanus Paulinos (quos vocant) omnes ob id solum quod sua imagine signati sint, vindicare velit. vt benè & dextre Nicolaus Oresmius episcopus Lexouiensis, qui fuit præceptor Caroli VI. Sapientis dicti, hunc locum explicat & enucleat, * cuius verba, quod non passim in omnium manibus versentur, adscribere non pigrabor: *Quamuis pro vtilitate communi Princeps habeat signare numisma, non tamen ipse dominus siue*

* Dd. in l. 3. C. de quadr. præscript.

* Tract. de mutat. monet. c. 6.

nus siue proprietarius est monetæ currentis in suo principatu; sed is qui pro eo numismate rem suam vel laborem proprij corporis dedit. Si quis autem vellet opponere per hoc, quod Saluator noster ostenso sibi quodam denario interrogauit dicens, Cuius est imago & superscriptio hæc? & cum responsum esset, Cæsaris; ipse sententiauit dicens: Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei sunt Deo. ac si diceret; Cæsaris est numisma, ex quo imago Regis in eo est impressa. Sed inspicienti seriem Euangelij patet facile, quod non ideo dicitur Cæsari deberi denarius, quia erat Cæsaris imagine superscriptus, sed quoniam erat tributum. Nam (vt ait Apostolus) cui tributum, tributum; & cui vectigal, vectigal. Christus itaq; significauit, per hoc posse cognosci, cui debeatur tributum: quia illi debeatur, qui pro Republica militabat, & qui ratione Imperij poterat fabricare monetam. Hæc ille. Ex quibus, vt etiam iuniorum captui rem insinuemus, apparet tale argumentum Domini fuisse, cuius nulli parti contradici vlla fronte potest:

Quæ Cæsaris sunt, ita vt Dei ius nihil attingant, danda sunt Cæsari: vt generaliter suum cuique.

Numisma census, siue denarius censualis, est Cæsaris. Deum non attinet.

Ergo Cæsari non grauatim dandus.

Minor propositio per elicitam ipsorum aduersariorum confessionem, probatam probationem habet, hoc modo:

Census omnis, dictante iure gentium & sensu communi, est eius qui iure victoriæ eum imperat victis; & ipse rerum potiens suo arbitrio, atque adeo sua si velit imagine, eum signat.

Hic census à Cæsare, orbis subacti descriptione facta, exigitur, & talis signatur. ad Deum autem

nihil pertinet, vt ipse loquitur.

Ergo Cæsaris est.

Non ergo omne argentum signatum sui characteris prætextu Cæsar à subditis vindicabat, ac ne plures quidem vno denarios pro recognitione dominatus sui accipiebat. Modestum planè tributum & tolerabile. Laudat Dio Cassius* Augustum, quod pro restituendo Palatio incendio absumto à priuatis denarium, à singulis verò collegiis aureum tantum, qui constabat denariis xxv. accepisset. Erat denarius merces diurna vnius operarij, vt apud Matthæum videmus*: et stipendium diurnum vnius militis, vt ex Tacito discimus. Iam magistratui quãtum debeatur, qui subditos custodit, qui legiones alit vt eos in officio & pace contineat: & propter bella necessariò militi stipendium præbetur, ne dum sumtus quæritur, prædo grassetur, ait Augustinus ad hunc locum*. Est aliquid quod Cæsar vobis Iudæis præstat. defendit vos ab inimicis quos prius habebatis, Arabibus, Parthis: nec pyramidibus & obeliscis ædificandis vos occupat, vt Ægyptij Pharaones & Ptolemæi: nec vsurpat tota illa iura Regis, quæ olim cum Regem vobis exemplo aliarum gentium à Deo flagitaretis, ab irato illo Regi concessa sunt*. Quin Iudæa gens, vt ipsa legis suæ & rituum propriorum studiosissima & ad superstitionem vsq; tenacissima, ita nec grauabatur à Romanis in suis sacris & ceremoniis. Et hos quidem olim ipsi Iudæi vltrò sibi socios & amicos asciuerant, eorumque fœdus & suppetias experierant*, vt imputare sibi ipsis bona ex parte deberent, si deinceps in eorum potestatem venerant: cum lege diuina vetarentur cum infidelibus fœdus pangere, & experientia humanâ scire deberent, potentiorum

Matth. 20.

* *can. 4. & seq. 23. q. 1.*

* *1. Samuel. cap. 8.*

* *1. Machab. c. 8. Joseph. 12. c. 17.*

tentiorum coniunctionem & inæqualia fœdera, infida esse solere. Sed tamen Romani gentis Hebreæ libertatem & religionem satis comiter conseruabant, & præ aliis populis in prouinciam redactis, Iudæis certè æquiores semper fuerunt. De Augusto Philo testatur*, eum non tantum in Palestina eorum religioni aut reipublicæ nihil derogasse, sed & bonam Vrbis partem trans Tiberim tenentes Iudæos tolerasse, nec eorum proseuchas, in quibus cœtus suos præsertim sabbatis haberent impediisse. Claudium etiam Cæsarem omnia Iudæis iura, leges & consuetudines confirmasse, & vestem sacerdotalem eis liberè dimisisse, quæ prius sub manu Romanorum erat, Iosephus* fatetur. Quin & Titum post vrbis excidium petentes Antiochenos, *Iudæorum priuilegia aboleri*, repulisse idem testatur. Hinc est & vox Pilati ad Iudæos: *Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate*. Itaque etiam circumcisio eorum lege excepta*; & Sabbata tolerata; & in muneribus publicis, quibus æquo iure cum aliis ciuibus tenebantur, ea moderatio adhibita, *Ne qua superstionem eorum læderent**. Et cum aliàs Romæ conuentus & & coitiones hominum, præsertim collegia religionis gratia non facilè concederentur, Iudæis tamen concessa sua synedria, synagogas, proseuchas fatetur Iosephus, & auctores nostri meminerunt*. Et adhuc sub Constātino M. Syriarchas & Phœniciarchas fuisse, & magna indignatione habitos, ipse testatur*. Ne quidquam iam de Christianorum Imperatorum constitutionibus, & in Iudæos indulgentia* dicam. Augustus certè tributi huius, de quo agimus, exactor ita æquus Iudæis fuit, Philone teste, vt non tantum pari iure cum alijs ciuibus eos haberet, sed & quoties

* *legat. ad Caium Imp.*

* *Ios. 19. cap. 4. & 20. c. 3. & 7. bel. Iud. c. 37.*

* *l. 11. D. ad leg. Cor. de sicar.*

* *l. 3. §. vlt. D. de decur.*

* *l. 15. §. הדן D. de excus. tutor.*

* *l. 1. C. de natur. libert.*

* *C. de Iudæ. Cuiac. 7. obseruat. c. 30.*

menſtruas pecunias,frumenti diſtributiones populus acciperet, Iudæorum etiam (qui alias plerumque ſordidè pauperes erant, & mendicando inque triuiis vaticinando miſeri æruſcatores ægrè vitam tolerabant) rationem haberi vellet: adeò vt ſi quando ea liberalitas in ſabbatum incideret, diribitores publicum beneficium in poſterum diem differre iuberet.

Adeò igitur nullo Machabeo vindice hîc opus, vt voce Domini potius iubeantur Cæſari tributum non dare, ſed *reddere*. quaſi nil gratuitum aut ſterile, ſed redhoſtimentum patrocinij & defenſionis; eodem iure quo ante Seleuco regi, & Pompeio Magno id dediſſent. Nec in Cæſaris perſonam id intelligendum eſt, ſed habentibus etiam cauſam à Cæſare: quales ſunt mancipes, publicani & redemtores vectigalium, quibus Iudæa (vt ſuprà relatum) fuerat elocata, quorumque in hiſtoria ſacra frequens & non bona mentio. Dummodo & hi modum, quem Baptiſtes eis præſcripſit*, ſeruent, nec vltrà quàm conſtitutum eis, exigant. Vt vice verſa hodie Chriſtiani principes Iudæis ſua iura & vectigalia elocare non prohibentur*.

*Luc.c.3.

*cap.18.de Iud.ſarracē.

Itaque vt & mater Domini in deſcriptione illa generali ſub Auguſto & Quirino præſide ſe ſtitit, cenſumque capitis ſui tum vterum gerens detulit, ipſeque Dominus (vt Euſebius dicit*) ciuis Romanus naſci & cenſeri voluit: ita & Apoſtoli eius hoc præceptum popularibus ſuis inculcare non deſierunt; *Neceſſe eſſe ſubiici magiſtratui, vt Dei miniſtro gladio armato, non tantum formidine pœnæ, ſed etiam ob conſcientiam, atq; ideò etiam tributum ei ſolui. Et generaliter*, ſubiicit*, *reddite omnibus quod debetis; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*. Et ſemel condemnata voce ſupremi iudicis

*4.hiſtor.c.26.

*Paul. ad Rom.13.

mi iudicis Iudæa natio, ſequentibus temporibus iugum tributi excutere, licet ſubinde rebellando niteretur, non potuit: ſed potius fato eos ad pœnam perfidiæ & crudelitatis ſuæ ducente, vitam ſimul & patriam cum libertate tandem amiſerunt, Tito Cæſ. Veſpaſiani F. executione diuinitus demandata. De quo hoc ſolum dicam, extare præter hiſtorias eius victoriæ monumẽtum Romæ ad radices montis Palatini, arcum marmoreum cum ſuperba inſcriptione, in quo ſculptæ manubiæ & ſpolia templi in triumpho per oſtentationem traducta, candelabrum affabrè expreſſum, cum arca fœderis, & tabulis diuinæ legis. In eius nummis apparere tropheum cum duobus captiuis aſſidentibus; item triumphalem quadrigam duobus captiuis præcedentibus. Eſſe & alios Veſpaſiano inſcriptos, quibus ineſt Victoria ſcuto inſcribens, captiuis aſſidentibus; item Iudæa muliebri figura expreſſa habitu lugubri aſſidens tropheo; in aliis duo captiui ſedentes ſub palma (quæ Iudeæ hieroglyphicon) hac inſcriptione ſignatos: IVDAEA. CAPTA.





C. Valerius Flaccus qui Argonautica ſua Veſpaſiano Imp. inſcripſit, auguratur * filium eius Titum, tunc verſa Idume puluere Solymo nigrantem (vt loquitur) paterno nomini templa, apud gentem nimirum talium inſuetam & impatientem, conſecraturum: ** lib. 1. in princ.*

Ille

Ille tibi cultusque Deûm, delubraque genti
Instituet, cum iam genitor lucebis ab omni
Parte poli. Hoc ergo Tito victore capitatio illa Iudæorum prior aggrauata est, vt pro denario totam didrachmam, quæ in templum Solymeum quotannis inferri solebat, vbicunque gentium agerent, deinceps penderent Ioui Capitolino, vt Iosephus * & Romani scriptores testantur. At Domitianum Titi fratrem Suetonius auctor est, Iudæos Romæ agentes, & alios etiam pro Iudæis suspectos grauissimè vexasse: *Præter cæteros* (inquit) *Iudaicus fiscus acerbißimè actus est, ad quem deferebantur, qui velut professi Iudaicam sectam intra vrbem viuerent, vel dißimulata origine imposita genti tributa non pependissent.* et addit: *Interfuisse adolescentem me memini, cum à procuratore frequentißimo concilio inspiceretur nonagenarius senex, an circumsectus esset.* Sub eo Martialis alludit*:

* *Ios.18.c.12. & 7.bel.Iud. c.28.*

Sed quæ de Solymis venit perustis,
Damnatam modò mentulam tributis.

* *li.7.epi.54.*

Nerua bonus Imperator illi belluæ succedens vexationem calumniosam sustulit, & ne liceret amplius maiestatis aut Iudaismi quemquam deferre, edicto vetuit, Dione auctore. Argenteus nummus eius id exprimit, hac inscriptione: FISCI. IVDAICI. CALVMNIA. SVBLATA. palma in medio posita, Iudææ arbore familiari *.

* *apud Eriz.p.171.*





Sed

Sed tamen calumniâ exactionis ſublatâ, tributum ipſum manſit. Hadrianus Iudæis ad internecionem cæſis è ciuitate coloniam fecit, & nomen ei mutauit, à ſe Æliam vocans. Vlpianus I C. Alexandri Seueri Imp. familiaris, *Aeliæ Capitolinæ & Cæſarienſis* meminit *, colonias in Palæſtina vocans: negatque eas ius Italicum habere, vnde tributarias eſſe conſequens eſt. Idemque ſcribit, *in Syria à* XIIII.*annis maſculos, à* XII *feminas, vſque ad* LXV.*annum tributo capitis obligari.* Tandem religione Capitolini Iouis euerſa, pecunia hæc Iudaica largitionibus & ærario Principum inferebatur; neq; tantum didrachmam (de qua dictum) ſed verò etiam aurum coronarium, quod Iudæi antea quotannis ex Italia & omnibus prouinciis Hieroſolymam portare, & Patriarchæ ſuo conferre conſueuerant, deinceps Imperatores ſibi vindicarunt; & ita quidem, vt Iudæi hunc canonem anniuerſarium ſuo periculo, compellentibus palatinis & officialibus pręſidum colligerent, & collectum Romam ad theſauros Cæſaris mitterent *. Quid autem hodie in eos Cęſari, Regibus & Principibus iuris ſit, ſunt qui peculiaribus commentariis expoſuerint *.

*l.1.& 3.D. de cenſib.

* l.pen. C.de Iudæ. Cuiac. ad l. 1.C.de auro coron.

* Marq. de Suſan. tract. de Iudæ.

Et hæc de tributo dicta ſint, de quo ſolo Phariſæi quæſierant. At Dominus, qui reuera venit ad docendam viam veritatis, ita reſpondit, vt non tantum tributum illud Cæſaris imagine ſignatum, ſed et ſi quid præterea Cæſaris eſt, ei tribuendum pronuntiet. Quo dicto non illius tantum ſummæ poteſtatis apicem & maieſtatem, ſed omnium aliorum magiſtratuum auctoritatem confirmauit, & voce pariter factiſque ipſis docuit, quod alibi profitetur; Se non veniſſe vt euertat politias & ordinem rerumpublicarum, ſed vt ſtabiliat: quas & ideò *ordinationem eſſe Dei,*

E

Apostolus pronuntiat. Idem scriptor belli Iudaici * testatur, *Christum dominum nihil aliud docentem, nisi quo primum Deo, deinde Principibus faceret populos obœdientes*, à Pilato improbo cruci suffixum deplorans. Vult itaque præter tributum & vectigal etiam honorem & reuerentiam, atque adeò amorem Principi deferri; & Cæsari ipsi, vt super omnes eminenti, (ait Apostolus *) & Præsidibus eius, vt ab illo missis. In rebus μέσοις & temporalibus obœdientiam ei præstari, in contractibus & negotiis ciuilibus leges eius seruari: qua & tandem in parte à Christianis Principibus Iudæi in ordinem redacti fuerunt *. Etsi enim lites & fora Ethnica Christianis, quantum pote est, vitanda suadet Apostolus *: tamen vbi per aduersarium non licet litibus carere, adire legitima tribunalia & iure experiri nihil vetat. Vt ipse Apostolus cum seditionis & rerum nouarum reus ageretur, jus Romanæ ciuitatis allegauit, præsidum & Cæsaris tribunali se stitit, nec forum declinauit, sed illuc à violentia tāquam ad portum iustitiæ prouocauit, & ab Angelo audiit: *Ne metuas Paule, oportet te Cæsari sisti*: Quod si suum cuique reddendum est, (vt idem monet) nil cuiquam debendum, etiam paganis, alienigenis; si priuatis, quanto magis magistratui, licet Ethnico, tamen cuius potestati ob peccata sua Iudæi commissi erant, & omnis potestas à Deo. quo Dominus ipse Pilatum iudicem sedentem & potestate sua ferocientem reuocauit: *Non haberes*, inquit, *in me potestatem iudicandi, nisi datum tibi esset desuper*.

Egesipp. 2. c. 5.

* *1. Petri, c. 2.*

* *l. 6. 8. C. de Iudæ.*

* *2. ad Cor. c. 6.*

Actor. 25. & 27.

At non in hoc substitit Dominus (quod nec adeò præter expectationem Phariseorum fuisset, aut effugiendo periculo satis) neque officio docentis diuinam veritatem perfunctum se adhuc credidit: sed

addidit

addidit aliud quid maioris momenti, & ita temperauit reſponſum admirabili ſua ſapientia, vt neutri factioni ſe redderet obnoxium: ſed potius pro bonitate ſua vtramque ſibi inimicam factionem moneret, quod magis ad ſalutem illorum attineret, & in quo diſcendo majus operæprecium eſſet, quàm de denario cenſus: nimirum vt Deo principi ſummo ante omnia ſoluant cenſum pietatis. Non tantum (inquit) *quæ Cæſaris ſunt Cæſari date*; ſed inprimis *quæ Dei ſunt, Deo*. Iuuencus ita reddidit:

Soluite nunc illi propria ſub lege tributum,
Atq; Deo proprium legis ſeruemus honorem.

Ergo quæ Dei & templi eius, domus orationis, vt didrachmum illud non Cæſaris ſed propheticæ virgulæ & myſticæ ſuppellectilis figura ſignatum, vt antea, ei perſoluite: ſoluite decimas, primitias, oblationes, & donaria miniſterio ſacerdotij deſtinata, vt Hieron. interpretatur. Adeò ſi quis eſſet nummus Deo debitus, & ita inſcriptus, quem ipſe peteret; eum bona fide reddite. At talem accepiſtis, ipſam animam Dei imagine inſignitam, accepiſtis ab eo talentum ingenij, legis naturæ, iudicii, ſenſus communis, conſcientiæ, aliorumque donorum: id benè collocate ad gloriam datoris, & cum fœnore fructibuſque fideliter reddite: præſertim cum is non paullo & attentius & iuſtius quàm Cæſar ſuum requirat, ipſe nummum perditum accenſa candela quærat. Quin & hoc ſibi imputabit, cum Cæſari ſuũ dabitis. Magiſtratus cæteri jus ſuum à Cæſare habent, Cæſar à Deo, Dei ipſius eſt miniſter, nec fruſtra gladium gerit: & vt ipſe præfectis ſuis gladium ad tutelam bonorum, excidium malorum committit, ita ad hunc vſum prius à Deo accepit. Denique conjuncta eſt cauſa Dei &

Cæſaris, numinis & magiſtratus, quod iam olim ſapi-
*Salom. pro uerb. 24. entiſſimus Regum docuit *: *Time Deum, fili mi, & Regem*. et deinceps Apoſtolus: *Deum timete, Regem honorificate*. Coniuncta eſt, non confuſa. Itaque neq; occupate jura Cæſariana, neque viciſſim quæ ſacri iuris ſunt, ad profanos vſus conferte: vt Eleemoſynas, quas Chriſtus pro ſe & membris ſuis acceptas fert; & alia ſacris piiſq; vſibus deſtinata illis conſeruate, exemplo Laurentij eam ob cauſam ſub Diocletiano paſſi. Multominus profanis rebus ſacrorum reuerentiam, aut hominibus diuinos honores date. Id à Herodianis hiſce factum; qui Herodi, non quidem huic, ſed Antipæ, cum die quadam ſederet regaliter ornatus pro tribunali, concionabundus ad populum, acclamarunt: *Vox Dei, & non hominis*. Tum confeſtim percuſſit eum angelus Domini, vt eroſus à
* Actor. 12. Ioſeph. 18. c. 8 vermibus expiraret *. Et tamen orta eſt poſtea ſecta hominum, qui legem quidem & prophetas acciperent, & reſurrectionem etiam faterentur; Herodem antea illum regem percuſſum ab angelo ipſum
* in catalo. hæreſ. p. 12. vt Chriſtum ſperantes expectarent: quos inde *Herodianos* dictos Philaſtrius Brixienſis annotauit *.

Ita vno reſponſo Dominus pupugit vtramque partem, Herodianos qui impij erant, herumque ſuum nimio cultu afficiebant, & de ſtatu regni ſui tutando, Cæſariſque gratia per quem regnabant, conſeruanda magis quàm diuino cultu aut legis obſeruatione laborabant; & Phariſeos qui nimia ſuperſtitione tumebant, & obtentu libertatis religioſæ legiſq; patriæ, quam ſe ſolos intelligere putabant, Principibus parere grauabantur. Atque ita dum illi ipſum alterutri parti inuiſum reddere tentant, ipſe eos Deo pariter & Cæſari aduerſarios eſſe oſtendit, & officii tamen

erga

vtrumque sui (si audire voluissent) commonefacit. Ipse autem interea neque Cæsari ius suum infregit, aut Herodianos ei deuotos offendit; & vero Deo patri suo cultum debitum apud gentem illam vernaculam asseruit. quem Cæsares etiam Romani adeò euertere & abolere non potuerunt, vt ipsi tandem Deo vnico eiusque filio nomen darent, seque à Deo coronatos, θεοστεφεῖς, non inuiti agnoscerent: nec tantum nullum à templo dedicatum donarium auerterent, sed ipsi potius sua eo promtissimè & largissimè conferrent, omnemque splendorem & maiestatem suam eo referrent, denique monetam etiam suam Christi potius imaginem ferre, in eaque hoc legi iuberent: IHS. XPS. REX. REGNANTIVM.* * *Cedren.f. 563. Glycas 4. annal.p.434. Curopal.f.80 Balsamon.in Nomocan. f.24.*

O magnam simplicissimę sapientiæ virtutem, quæ aduersarios in admirationē adductos & confusos coram populo, quo teste agebant, pudefacit, vt nihil reprehendere valentes obmutescerent, & spe sua delusi abirent. Sed (vt eleganter Hieronymus addit) qui ad tantam credere sapientiam debuerant, mirati tantùm sunt, quod calliditas eorum insidiandi locum non inuenisset: *et relicto eo abierunt*, infidelitatem pariter cum miraculo reportantes. Falsò igitur (vt ad initium suum nostra recurrat oratio) falsò præfati erant, *Scimus quod magister tu veritatis.* Imò nil minus scimus, nec scire nobis datum, nec scire id cupimus, aut vt credamus induci possumus, adeò increduli & peruicaces. Cananæi citius credidissēt; & verò passim audita doctrina, miraculis visis cum stupore, inclinabant ad credendum. Antipater audito D. Paulo quasi cedens, *Parum abest, quin Christianus fiam.* Tiberius ad Senatum super Christo retulit. Alexander Seuerus in larario cum aliis posuit. Denique ita

Deo visum, vt gentiles illi, & nos Germani, nos barbari à Sole illo mollesceremus, Iudæis magis etiam adhuc induratis. Cui pro hoc beneficio sit laus & honor in sæcula.

APPENDIX.

HIs expositis videamus, hoc præceptum ab ore Domini profectum de veneratione, tributo, obœdientiaque magistratui præstanda, quis primus & maximè violauerit. Quis, nisi ille in Templo quidem & ecclesia Dei sedens, sed nihil eorum non dicam quæ Dominus iussit faciens aut etiam scire curans, verùm in contrarium facere & moliri non dubitans: cui humanas res omnes miscere & pessundare ludus; cui audaci & sibi ipsi placenti, dominatus & potestates mundanas, quas etiam Angeli venerantur, contumeliosè habere & proculcare nulla est religio, vt de eo D. Petrus jam tum præsagiebat*. Vt autem de eo tantum dicamus, quod est huius loci proprium, de nummo Cæsaris, de censu; Cornelia lege olim cautum erat, quæ *Nummaria* dicta, vel potius (quia hoc nimis cascum videri possit) à Principibus Christianis Valentiniano & Theodosio, item Majoriano & Theodosio, constitutionibus sancitum, à Iustiniano in Codicem suum relatum, & in pragmatica sanctione ad Vigilium Romæ Episcopum repetitum, deinceps etiam à Leone Philosopho Imp. in Oriente, & à Carolo denique Magno in Occidente iteratum*, *Ne cuiquam nummos Principum quorumcunq; imagine formatos, modo alias iusti ponderis nec dubiæ fidei essent, in commerciis reprobare fas esset.* Porrò cum transla-

2. Pet. c. 2. & Iud. v. 5. 8. 10.

**Paul. 5. sent. tit. 25. l. 1. C. de vet. num. potest. Theod. nouel. 25. Maior. 1. Prag. sanct. ca. 14. Leo no. 52. Lombar. 3. tit. 28.*

tum

tum esset imperium è veteri Roma in nouam, & Imperatores Constantinopolitani per Exarchos suos Rauennæ residentes regnum Italiæ vtcunque retinerent; Occidentem & caput eius Romam vt legibus illorum, ita etiam solidis, monetis, nummis, per multos annos sine difficultate vsum constat: qui *Byzantini* dicebantur, et eorum multa mentio in eius temporis diplomatis & instrumentis, etiam Pontificiis bullis, & fundationibus, aliisque talibus memoriis; necnon in ipsis Decretalibus, & cæteris eius æui auctoribus. At Constantinus Papa, nonne ipsis Iudæis rebellior videri potest? qui Philippico Bardane Imp. quod non per omnia cum sede Romana sentiret, & picturas synodicas (quas vocabant) sanctorumque statuas & imagines è templis erasisset, (graui scilicet ex causa) hæreseos condemnato, cum populo Romano statuit, *Ne nomen Imperatoris hæretici aut in chartas, aut in figuram solidi seu numismatis susciperent*: Vnde nec eius effigies in ecclesiam pro more introducta est, nec nomen ad missarum solemnia prolatum, vt Paulus Diaconus, Beda, Adoq; testantur *. Iam quis nescit, quomodo idem Romæ Episcopus, & per eum totus clerus, reditus fiscales & tributa Imperatoris, imperiique & omnium Principum imminuerit, & eneruarit, dum paulatim res suas à iurisdictione & exactione eorum subtraxerunt, & ementitis priuilegiis immunitatem latissimam sibi ipsi fabrefecerunt. At hoc leuius, & forte ferendum præ illo, quod idem Papa Imperatores veteres sub prætextu hæreseos tributo totius Italiæ spoliauit. Cũ enim Leo Isaurus Imp. bono zelo statuas & imagines templarias euertere cœpisset (vnde Iconomachus dictus, & omnes scriptores monastici hoc nomine ei

Bezãts d'or.

** l. Diac. 6. Longob. cap. 31. Ado æt. 6. Platin. & Masson. in Constãtin. 1.*

Ex. de immun. Eccles.

ne ei mirum in modum iniqui) idque comperisset Gregorius Papa, statim synodico anathemate eum obstrinxit, moxque tributa Romanæ vrbis & totius Italiæ, quæ ad id vsque tempus Imperio inde pendebantur, inhibuit eique intercepit. Et mox in totum ab illo deficiens, Francos tacitis fœderibus in Italiam pellexit, vt Zonaras, Cedrenus, Diaconus scribunt, & ex eis Platina aliique recētiores Pontificum encomiastæ quasi rem bene gestam referunt *.

Zonar. to.3. p.85. Cedren. f.373. & 98. P. Diac. miscel.21. Theo. Nihē. f.787.

Longum sit commemorare, vt pleraque iura Imperatoria circa res sacras & profanas infregerit & ad se transtulerit: conuocationem conciliorum, creationem sui ipsius, & Episcoporum inuestituras, iurisdictionem in clericos, jura appellationis: vt se ipse totum ab Imperatoris obœdientia exemerit: vt ornamenta Imperatoris omnia à capite ad calcem, infulam, coronam, calceamenta, equestrem pompam vsurparit: vt molem Hadriani, Pantheon, Lateranu, basilicas, septimontium totum, vrbem cum suis magistratibus, iuribusque Senatus & Populi occuparit: quinimo vrbe non contentus Italiam, Apuliam, Calabriam, Siciliam, cæteraque regna pleraque sibi vindicarit, & jam orbis dominium affectet. Itaque quæ olim Romani Cæsares rerum domini è Palatio regiáque sub titulo, encausto, sigillo suo expediebant, ipse iam in basilica S. Petri principis Apostolorum sub annulo piscatoris peragit: ipse iam monetam auro argentoque flat ferit, claues suas & insignia gentilitia imprimit, addito & in quibusdam elogio: SIC. SOLEO. BEARE. MEOS. In aliis Iulius III. hæc verba Iesaiæ prophetæ ad suam monarchiam apposite deflexa inscripsit: GENS. ET. REGNVM. QVOD. NON SERVIERIT. TIBI. PERIBIT. Certè

veris

veris & legitimis Imperatoribus Byzantinis omnia ademit: qui cum modò à legitima Meroueorum stirpe, Chilperico rege in monasterium detruso & tonso, regnum Francorum in Pipinum maiorem domus transtulisset; paulò post & Imperium ipsum à Constantino Irenes F. in Carolum Magnum, à Græcis ad Francos transtulisse se gloriatur, & Germanis exprobrat. nimirum ne parum impleuisse videretur, quod Prophetarum oraculis erat prædictum, eum etiam regna & imperia à gente in gentem transpositurum. Et his omnibus parum se credidit effecisse, nisi ipse versa vice Cæsari leges daret, Imperio imperaret, ipse Imperatorem crearet & coronaret, iuramentis quibus vellet adigeret, ei taxam & tributa imponeret, aduersarios ei excitaret, eum denique si videatur leui prætextu pro arbitrio deponeret. Mirum videri possit, quod non & titulum nomenque Imperatoris penitus abrogarit: nisi forte (vt de Regio nomine quibusdam à Romanis relicto Tacitus dixit) reliquit ideo, vt haberet instrumenta seruitutis & Imperatores. Quam seruitutem quàm indignè in complures eorum exercuerit, non est huius loci denarrare: vt & totam illam amplissimam segetem Theologis intactam relinquo, quomodo ea quoque quæ Dei sunt, Christi seruatoris, eiusque sanctæ sponsæ Ecclesiæ, idem infideliter reddiderit, quin sibi arroganter vsurparit; efferendo se supra omnia, & intolerabilem tyrannidem in Ecclesiam & oues dominicas exercendo.

Et audet spurcus & blasphemus ille auctor libri Monarchalis Papæ, Iacobus de Terano, Vrbani VI. cubicularius, opus suum ab hoc dicto Domini ordiri: *Reddite quæ Cæsaris, Cæsari.* vbi verba illa perbellè

ita exponit: *temporaliter scilicet, antequam Christus passus esset, & cælos victor ascendisset.* Verba enim Domini*, *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*, suauis conciliator exponit: *Omnia imperia & regna mundi recuperabo, & aufferam à Cæsare, Regibus & aliis Principibus, idque per milites meos Apostolos.* Quibus portentis adulationum etiam Augustini de Anchona, cæterorumque parasitorum Pontificiorum libri pleni sonant, & bracteatæ ipsæ decretales Paparum non ab alio ferè auro crepant.

* Iohan. 12.

Quanto magis sacerdotem decuisset, præcepti Dominici, Prophetici & Apostolici memorem vnctos Domini colere & venerari, eisque omnem amorem & obseruantiam quacunque animi submissione deferre, fidelibus præsertim & Dei cognitione vera imbutis, atque adeo patrocinium & defensionem Ecclesiæ Christianæ profitentibus. Erat quidem illud tempus, quo cum Principes Romani non tantum Deum verum ipsi ignorarent, sed & alios ab eius cognitione & professione quantum in ipsis esset arcerent; tum certè Christianis etiam atque etiam cauendum esset, ne plusquam fas esset, Cæsari tribuerent, & limites hos à Domino positos, sanctè religioséque seruarent. Ideoq; canone Apostolorum LXXXIII. cautum legimus; *Episcopum, Presbyterum, Diaconum operam dantem militiæ, & simul vtrumque retinere volentem, Romanam* στρατείαν *siue præfecturam, & sacram functionem, deponendum:* addita hac ætiologia, *Quæ enim sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei Deo.* vbi Zonaras annotat: οὐ γὰρ δεῖ μιγνύειν τὰ ἄμικτα, τὰ Καίσαρος, φημὶ, καὶ τὰ θεοῦ. Et septimus Chalcedonensis Synodi canon, tales quos non pœniteat, anathemarizari iubet. Quod & Arelatensi Synodo sub Constantino habita ita cau-

tum

tum legitur: *De præsidibus autem qui fideles sunt, & ad præsidatum consiliunt, ita placuit, vt cum promoti fuerint, litteras quidem accipiant ecclesiasticas communicatorias, ita tamen vt in quibuscumque locis gesserint, ab Episcopis eiusdem loci cura de illis agatur; & si cœperint contra disciplinam agere, tum demum à communione excludantur.* Sed hoc erat illud tempus, quo (vt eleganter ait Augustinus*) *nondum implebatur illa prophetia: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Adhuc enim implebatur illud, quod in eodem Psalmo paulo superius legitur: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania: Astiterunt reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum.* Et ait, suo tempore in Principibus Romanis impletum illud: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Seruiunt enim reges Domino in timore, ea quæ contra iussa Domini sunt, religiosa seueritate prohibendo. Aliter enim seruit quia homo est, aliter quia Rex. Quia homo, seruit viuendo fideliter. Quia Rex est, seruit leges iusta præcipientes & contraria prohibentes conuenienti vigore sanciendo.* Et Paulinus epistola ad quendam militem: *Quia vni Deo seruiendum est*, inquit, *facile puto esse discerni, cui potius seruiri debeat, Deo an Mammonæ, Christo an Cæsari: cum ipse Cæsar Christi seruus studeat esse, vt aliquarum gentium rex esse mereatur.* Itaque hoc vnum passim & vbique iam tum à sanctis illis ecclesiæ Doctoribus inculcatur: Quo magis conjuncta est Dei & fidelium Principum causa, eo promtius Principibus ab omni anima, nullo mortalium excepto, suum esse reddendum. Quæ sententia cum & multorum grauissimorum scriptorum calamo sit discussa, & Imperatoria iura contra attentatores Achilleis argumentis propugnata; vela contraham, & in voto illo

*epist. 48. c. non inuenitur. & seqq. 23. q. 4.


epist. 50.

pag. 418.

illo desinam, quo Bernardus vtitur ad Conradum Rom. Regem: *Accingere gladio super femur tuum, potentissime, & restituat sibi Cæsar quæ Cæsaris sunt; & quæ sunt Dei, Deo. Vtrumque interesse Cæsaris constat, & propriam tueri coronam, & Ecclesiam defensare. Alterum Regi, alterum Ecclesiæ conuenit aduocato.* epist. 253.

FINIS.





DE TRIBVTO SOLI ET CAPITATIONE IVDAICA, SVB AVGVSTO.

Obſeruatio

Ex lib. III. PARERGΩN. M. F.

Capvt. X.

TRibvti ſtipendijve duo ſunt genera; quæ capitibus, & quæ ſolo imponuntur. l. vlt. D. de cenſib. quæ prædijs, & quæ mouentibus, vt Scæuola loquitur. l. generali. 32. §. vlt. D. de vſufr. leg. Vtrumque *tributum* vocatur, vtrumque *cenſus*, vt apparet ex loco Vlpiani in l. 3 in princ. D. de cenſib. Itaque cenſum Suidas definit, ἐτήσιον τέλος, ἐξέτασιν τοῦ Ῥωμαϊκοῦ πλήθους: Heſychius, εἶδος νομίσματος ἐπικεφαλαίου. Vtrumque erat ordinarium, vtrumque ſimul pendebant in prouinciam redactæ regiones, niſi quæ iuris Italici eſſent: qui nominis honos eas vtroque eximebat. Atque vno remiſſo, non etiam continuò alterum remiſſum cenſebatur, niſi fieret expreſſè, aut iuris Italici (vt dictum) prærogatiua tribueretur, d. l. vlt. Iudææ quidem, duræ & rebelli, vtrumq; initio ab Auguſto impoſitum, non dubitatur; eoq; nomine deſcriptionē factam capitum primò, quotquot Iudæam inhabitarent, deinde facultatum, quantum ſinguli in bonis haberent. Nam & Quirinum præſidem miſſum ἀπογραφὴν & ἀποτίμησιν feciſſe τῶν οὐσιῶν Ioſephus diſertè ſcribit; & cùm Syri, Ciliceſque quotannis centeſimam facultatum pende- *Sigon. de rep. Hebræ. lib. 5. in fin.*

H rent,

rent, Iudæos insuper tributum capitis grauius quàm reliquarum facultatum dependisse Appianus in Syriacis auctor est: Διὰ ταῦτ' ἐστὶν Ἰουδαίοις (inquit) ἅπασιν ὁ φόρος τῶν σωμάτων βαρύτερος τῆς ἄλλης περιουσίας. ἔστι καὶ Σύροις, καὶ Κίλιξιν ἐτήσιος ἑκατοστὴ τοῦ τιμήματος ἑκάστῳ. Et sic vtrumque tributum in eos à sequentibus Principibus continuatum vel ex eo colligere est, quod Vlpianus scribit, *colonias in Syria Cæsariensem & Aeliam Capitolinam, neutram Italicum ius habere.* l. 1. D. de censib.

Quæ verò & quanta capitatio ista fuerit, inter eruditos *Cæsar Baron. Tomo 1. Annal. Eccles.* quæritur. Nam alius quidem vniforme illud & in omnia capita æquale, eamque in rem peculiariter cusum nummum, & quidem (indicio Euangelistæ de colloquio Domini cum Pharisæis) denarium fuisse scribit: illum qui merces diurna scilicet vnius operarij erat, & stipendium diurnum vnius militis: & modestum tributum laudat. *Lips. in Admirand. lib. 2. cap. 3.* Alius palam dissentiens ridiculum hoc putat; nisi si Denarius aureus (inquit) fuerit. Et Strabo sanè pro hoc, qui non modestum sed βαρύτερον solito capitationis Iudaicæ tributum facit. Sed & Tacitus lib. 2. sub Tiberio anno V. C. DXXLXX. *Prouincias Syriam atque Iudæam, fessas oneribus, deminutionem tributi orasse.* Itaque nec inducere in animum idem vir magnus potest, indiscretum vniformè in omnia capita, multoq; minus, certum genus nummi ad hoc tributi genus cusum fuisse: quod hoc posito, iniustitia manifesta adhæreat, vt si quis pauper liberos & familiam multam habeat; contrà diues, & cœlebs sit & orbus. Vnde Strabonis de Iudæis locum ita accipit: soluere quidem illos censum & pro agrorū modo & opum reliquarum; sed æstimatione omnium facta etiam centesimā pro ipso capite dare: ita vt qui decem aureorū millia (exempli gratia) in censu habeat, soluat ex illis annuè centena. Hocque placere sibi ob æqualitatem, & quia pauperes & tenues sic

non

non pressi. Quod equidem totum, & quæ sequũtur, non satis capio.

Tenendum est certè, tributum soli, id est agrorum, pro modo & latitudine eorum indictum fuisse, vt Vlpianus de censibus docet: vel potius pro feracitate. Stipendium enim & tributum onera sunt fructuum. l. 7. D. de vsufru. l. neque D. de impens. in res dotal. fact. Vnde Mœcenas apud Dionem, *φόρον ἐπιτάξας πᾶσιν ἁπλῶς τοῖς ἐπικαρπίαν τινὰ τῷ κεκτημένῳ αὐτὰ παρέχουσι.* Nec agris solùm, sed cæteris etiam facultatibus, ædibus, auro facto & infecto, pecuniæ numeratæ, mancipiis, gregibus tributa imponebantur, pro eorum modo. Qui vt inter diuites & inopes diuersus, ita & tributi onus: neq; hoc inopibus valde formidandũ. At capitis tributum in omnes peræquè vnum, liberos modò (nam seruorum nulla capita, sed pecudum instar pro preciis suis à domino cum cæteris fortunis horum tributum dependebatur) diuites & tenues, maritos & cœlibes, parentes & orbos. Non dicam, iuvenes & senes; quod ei rei modus datus, vt nec ante vigesimum annum capite obligarentur, & senectuti sua immunitas esset; nisi quòd in Iudæâ hoc etiam aliquantulum aggrauatũ, Vlpianus auctor est. d. l. 3. D. de censib. Et hoc sanè nimirum vniformè per omnia capita capitationis tributum fuisse, tam certum est, quàm inter ipsos Iudæos didrachmi pensitatio lege diuinâ instituta non variauit: & à Vespa- *Exodi 30.*
siano deinde ita innouata, *vt omnes vbiq; Iudæi* (verba sunt Iosephi, Zonaræ, Xiphilini) *duas illas drachmas Ioui Capitolino Romæ penderent, quas antea templo Hierosolymitano pependerant.* Quàm certum est vectigalis aut collectæ genus (vt cum recentioribus loquar) quod singulis familiis per focos, caminos fumantes, aut focularia imponitur, nec Græcis incognitum, & *καπνικὸν* dictum; per omnes æquè familias æquale esse, nec à diuitum domibus quàm pau-

Vbald. de collectis. nu. 13. 20. 25.

Cedren. in Stauratio.

Nouell. Isacij Comneni.

 perum

perum tabernis aliud exigi. Quæ etiam res facit, vt in personas vel capita, in domos vel fumaria quod exigitur, modicum & tolerabile plerumq; definiatur, omnibus æquũ; quòd nec tenuibus graue sit ad pendendum, & interim numero pendentium exactori magnam summam conficiat.

Iam modum vtriusque tributi si quis requirat, etsi nec liquidò hunc cõstitui posse credam, nec fuisse semper certum putem, sed sub hoc vel illo Principe, in illam vel illam gentem, pro caussis vel arbitrio, exauctum aut remissum: tamen non video cur aut in tributo bonorum centesimam (qui ferè modus hodie etiam vbiq; gentium seruatur) aut in capitatione denarium in singulos excessisse putemus. Sit denarius decem cupreorum assium nummus, drachmali pondere (quis enim aureum denarium vspiam legit?) tamen hoc & in capita singula, supra bonorum censum, quotannis petitum, tenuioribus non ita leue, & in tanta gente immensam victoribus opum vim cumulauit. Neque Deus ipse nisi didrachmum, id est, duos denarios, lege sua in Templi vsum exegerat. Dum itaque Pharisæi iussi *numisma census exhibere*, denarium exhibent Tiberij Cæsaris imagine percussum, capitationis nummum exhibent. Puto enim illos de capitis potissimum censu, quem tantopere suâ conditione indignum oderãt & auersabantur, cum Domino agere & anquirere voluisse. Quod si de tributo soli potius, aut coniunctim de vtroque actum fuit; vt denarius vnus ei rei non suffecerit, hoc saltem ex eo loco obseruare operæpretium fuerit, quãdoquidem non staterem, non drachmam, non siclum, sed denarium protulerunt, mori Romanorum ea ratione satisfactum, qui tributa & indictiones suas non tantùm rigidè exegerunt, sed nec in alio quàm Romano nummo acceperunt, vt est alio loco à nobis fusius expositum. Itaque

Ora. de Numis. census.

aut

aut ſingulis denariis pro capitis cenſu defungi Iudæi potuerunt: aut capitationem ſimul & ſoli tributum ad denariariam rationem ab exactoribus redigi conſueuiſſe, & in denario notiſſimo Romanæ monetæ genere à prouincialibus perſolui debuiſſe hinc videmus. Quod & Strabonis locus libr. 10. de Gyaro inſula adjuuat. συμπλέων δὴ ἔλεγε πρὸς τοὺς πυνθανομένους, ὅτι πρεσβεύει περὶ κουφισμοῦ τῶν φόρων. τελεῖν γὰρ δραχμὰς (*denarios* interpres vertit, rectiſſimè) ἑκατὸν πεντήκοντα· καὶ τὰς ἑκατὸν χαλεπῶς ἂν τελοῖεν.

DE HADRIANI IMP. VICTORIA IVDAICA, ET ÆLIA CAPITOLINA.

CAPVT XI.

DE bello Iudaico Hadriani Imp. quo rebellantes compeſcuit, & ad internecionem cecîdit, regionemque eorum ferro & flamma vaſtauit, Dion & Spartianus, nécnon Pauſanias auctores ſunt. Extantque eius victoriæ monumenta in nummis Hadriani, quorum vnum, qui ad manum, hîc exhibere viſum: in quo Iudæa ſupplex ruinam ſuam deplorat, veniamque nequicquam precatur.

Apud Sebaſt. Erizzo. pagin. 253. Ant. Agoſtin. tab. 71.





Eo bello confecto ciuitatem Hierosolymam victor in coloniam conuertit, nouis ciuibus inductis, religione loci sacrisq; priscis sublatis profanauit, & nomen adeò ei immutauit, *Aeliam* à se vocans; cujus Vlpianus alicubi meminit. De qua singularis est locus Seueri Sulpitij libr. II. *Adrianus existimans se Christianam fidem loci iniuriâ peremturum, in templo ac loco dominicæ passionis dæmonum simulacra constituit. Et quia Christiani ex Iudæis potissimum putabâtur, (namq; tum Hierosolyma non nisi ex circumcisione habebat Ecclesia sacerdotem) militum cohortem custodias in perpetuum agitare iussit, quæ Iudæos omnes Hierosolymæ aditu arceret.* Quo valde pertinet Apologetici locus, in quo Tertullianus (qui post Hadrianum sub Seuero vixit) de Iudæis loquens; *Dispersi*, inquit, *palabundi, & soli & cæli sui extorres, vagantur per orbem, sine homine, sine Deo rege: quibus nec aduenarum iure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur.* Hoc etiam fortasse consilio (vt eleganter vir doctus annotauit) Hadrianus vrbem illam instaurans in fronte eius portæ quæ ad Bethlehem erat, suem in marmore sculptam proposuit, vt Cassiodorus in Chronico scribit. Qui tamen hanc minus fortè propriam rationem addit, *significasse Romanæ potestati subiacere Iudæos*, quasi verò ad iurisdictionem suam denotandam non aquilam potius aut lupam, quàm scropham Trojanam, expressuri fuissent Romani. Sed figurâ immūdi exosiq; animalis abigere & absterrere aditu Iudæos voluerunt. in quo falsus animi Petronius, aliique Gentilium, qui reuerentiâ eius affici Iudæos putabant:

L. 1. D. de censib.

P. Pithœus 2. aduers. cap. 3.

Iudæus licet & porcinum numen adoret,
Et cœli summas aduocet auriculas;



